




TI·CLAVDIVS·CAESAR·AVG·P·M·TR·P·IMP

L. A.
SENECAE
ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΣ.

SIVE

LVDVS IN MORTEM

CLAVDII CAESARIS.

A

FRANCISCO EVGENIO GVASCO

ILLVSTRATVS.

VERCELLIS 1787.

CVDEBAT JOSEPH PANIALIS

EMINENTISSIMI PRÆSULIS, ET ILLUSTRISSIMÆ CIVITATIS TYPOGRAPHUS;

OBTENTA FACULTATE.



CAROLO GVASCO
FRATRI

FRANCISCVS EVGENIVS.

L. Annæum Senecam, ad Satyram (minus caute, quam decuit) propensum fuisse, CAROLE FRATER, ex contumeliis, quibus Alexandrum M. non uno in loco affecit; immo ex omnibus fere ejus scriptis satis liquet, ac Dionis (a) *testimonio confirmatur, cui ipse adstipulatur Lipsius,* (b) *qui ejus in vituperando immoderantiam damnat. Attamen cum eum nominamus, nobis statim in mentem subit species severi Senatoris, gravisque Phi-*

(a) In Ner. XXVII.
(b) Præf. comm. in Sen.

losophi, nec non a jocis, ludisque penitus alieni, qualis in libris, qui in manibus sunt omnium, apparet; eamdem vero de Seneca opinionem tulisse Tacitum haud censeo, cum eum amœni (a) ingenii *virum appellaverit; quam rectè patet ex hac in Claudium Satyra, in qua joca, & lepores, cum maledictis, conviciisque certare animadvertimus, ita ut Authori*, Sileni *nomen apprimè conveniat, quo veteres, teste Pausania* (b), *Satyricum, Scommata cum molesto quodam lusu jacientem, designabant. Ad eam conscribendam, Senecam exacuit indignatio intima, atque odium in Claudium jampridem conceptum, a die scilicet, quo ab eodem, quasi adulteriorum Juliæ Germanici filiæ conscius, fuerat in exilium pulsus, circumscripto habitandi loco (quo, teste Cicerone* (c) *exulantibus nil terri-*

(*a*) Ann. XIII. 3.
(*b*) V. Christ. Neandri hist. Bacchan. VIII. sect. 1.
(*c*) Parad. II.

bilius) nempe Corsicæ insula. Verum ab exilio, Agrippina veniam impetrante, revocatus, ita cautè gravissimam injuriam dissimulavit, ut eam voluntaria oblivione contrivisse ab omnibus putaretur. Mortuo tandem Claudio, & liber, ut ipse ait, ad loquendum factus, hanc Menippæam exaravit; in qua totum animi venenum diù celatum, compressumque in eumdem evomuit. Porro hunc magni ingenii virum, beneficiis potius alliciendum, a se alienari, vesanus ille Cæsar, omnino non debuerat: hanc sic evitasset Satyram, qua ille nomini ejus æternam inussit infamiam. Tot enim, hæc est contumeliis, probrisque, tantàque irrisione; & ludibrio, referta, ut nesciam, an acrior ab alio unquam Satyrographo, non Petronio Arbitro, non Luciano, neque Sulpicia, & Juliano Augusto exceptis, conscripta fuerit. Is tamen est vilissimus ille assentator Seneca, a quo Claudius, (in quem mox tot probra

jecit) *appellatus eſt* Sidus , Oraculum , Numen , Princeps clementiſſimus, sapientiſſimus. *Is eſt* , *qui non ejuſdem menti tantum* , *ſed & manibus Divinitatem tribuere haud erubuit in opuſculo* de Conſol. (a) *ad Polybium*. *Is tandem qui aliquando pro Claudii salute in hæc verba Deos oraverat* DII ILLVM DEAEQVE OMNES TERRIS DIV COMMENDENT. ACTA HIC DIVI AVGVSTI AEQVET: ANNOS VINCAT. QVAMDIV INTER MORTALES ERIT NIHIL EX DOMO SVA MORTALE ESSE SENTIAT: RECTOREM ROMANO IMPERIO FILIVM LONGA FIDE APPROBET , ET ANTE ILLVM CONSORTEM PATRIS, QVAM SVCCESSOREM ACCIPIAT. SERA ET NEPOTIBVS DEMVM NOSTRIS DIES NOTA SIT, QVA ILLVM GENS SVA COELO ADSERAT. ABSTINE AB HOC MANVS TVAS FORTVNA, NEC IN ISTO POTENTIAM TVAM, NISI EA PARTE QVA PRODES, OSTENDERIS, PATERE ILLVM GENERI HVMANO IAM DIV AEGRO ET ADFECTO MEDERI. PATERE QVIDQVID

(a) Cap. 32., ubi, *me*, inquit, *a fortuna impulſum*, *cadentem ſuſtinuit* (Claudius) *& in præceps euntem leniter* DIVINÆ *manus uſus moderatione depoſuit*.

PRIORIS FVROR CONCVSSIT, IN LOCVM SVVM RESTITVERE AC REPONERE. SIDVS HOC QVOD PRAECIPITATO IN PROFVNDVM, AC DEMERSO IN TENEBRAS ORBI REFVLSIT, PERLVCEAT.

Ex his equidem patet Authorem nostrum aliquando, Claudium, quem hac in Satyra ad sedes impias damnavit, haud apotheosi indignum existimasse. Hinc merito Claudius ore carminibusque Andreæ Mariani, sic Senecam mordet:

Me Seneca extinctum pupugit, placuitque Neroni,
Irridendo mihi, proficiendo sibi:
Aurea crudelem docuit documenta Tyrannum;
Interea vastas rasit avarus opes. (a)

Falsum tamen censeo (id quod aliqui authumant) hoc Opusculum, prætextum Authorem necandi suffecisse Neroni, quasi suspicaretur, se in posterum acerrimo Præceptoris sui ingenio argumentum futurum; falsum, inquam: nam teste Sve-

(a) Statuarum Rom. Epigr. lib. 1. 179.

tonio (a), *nihil Nero patientius*, quam maledicta, & convitia hominum tulit, nec in ullos lenior extitit, quam in illos, qui se dictis, aut carminibus lacessissent. *A Tacito, fateor, contrarium innui videtur.* Neronis odium, *inquit*, adversus Vestinum (b) ex intima sodalitate cœperat, dum hic ignaviam Principis penitus cognitam despicit: ille ferociam amici metuit, sæpe aspersis facetiis illusus. *Verum ex his apparet, Neronem Vestini mortem jussisse, non propter ejus dicacitatem, quam oderat, sed propter animi ferociam, quam metuebat. Accesserat recens caussa: quod scilicet Vestinus Statiliam Messalinam matrimonio sibi junxerat*, haud nescius inter adulteros ejus, & Cæsarem esse. *Præterea supervacanea prorsus illa fuisset præcautio; non enim unicus Seneca inter Romanos satyrico pollebat ingenio. Flore-*

(a) In Nerone XXXIX.
(b) Ann. XV. 68.

bant quippe tunc temporis C. Rabirius, A. Persius, Antistius Sosianus, Seneca tragicus, & præ omnibus C. Petronius Arbiter, aliique, qui re ipsa (maxime istorum novissimus) Neronis flagitia sunt, aculeatis verbis, detestati. Quæ autem mihi certa videntur, hæc sunt; Senecam nempe Consecrationis ritum, comicam veluti scenam existimasse, deque Diis quam ridiculam habuisse opinionem, ut permulti potissimum D. Augustinus,(a)

(*a*) *Philosophia eum docuerat, ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges civium, moresque hominum non quidem ageret fingente scenicum in theatro, sed imitaretur: in templo, eo damnabilius, quo ea, quæ mendaciter agebat sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret. Colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.* De C. D. VI. 10. Hypocritam tamen hunc nonnulli Christianum dixerunt, quos Modius in Novantq. Ep. XXI. merito refellit. Christianum revera quis credet eum, qui moriturus, pateras, balnearia lympha repletas, JOVI LIBERATORI libavit, eàque adstantes aspersit? Somniabat ergo Sarisberiensis cum scriberet: *Mihi desipere videntur, qui quemcumque secuti non venerantur Senecam, quem & Apostoli familiaritatem meruisse constat, & a doctissimo Patre Hieronymo in Sanctorum catalogo positum.* De Nug. Cur. VIII. 13. Negari profecto nequit D. Hieronymi hæc esse. *L. Ann. Senecam .... non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me illæ Epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis, Paulli ad Senecam, & Senecæ ad Paullum.* De Vir. ill. cap. XII. At Epistolas illas, de quibus loquitur S. Doctor, inter pia primævorum Christianorum commenta esse adscribendas, Critici recentiores perspicuè demonstrarunt: præterea ubi legitur *in catalogo Sanctorum* legi debere *Tractatorum*, Cl. Vallarsius, præstantissimi Vaticani codicis auctoritate fretus, ostendit.

notarunt. Ceterum ludus hic, (*quem ut reliqua Senecæ ſcripta*, arenam ſine calce *appellare Caligula non eſſet auſus*) *cum argumentoſus, leporibuſque plenus ſit, adeo legentibus* (*licet non integer ac pluribus in locis fœdè corruptus*) *conſtanter placuit, ut illuſtrari a Rhenano, Liberto Fromondo, Jo. Triſtano, Nic. Fabro, Caſpare Barthio, Jac. Grutero, Jo. Scheffero, Adriano Junio, Cœlio Secundo Curione, Andr. Alciato, & Jo. Frid. Gronovio promeruerit. Sigibertus* (a) *Havercampius de ſe ipſo teſtatur* Apocolocyntoſim, *ſine cachinno, legiſſe numquam. Hinc cl. Ant. M. Lupius* (b), *inter Opuſcula, ſolutà oratione conſcripta in ſingulare volumen, erudiendis adoleſcentibus, congeſta*, Apocolocyntoſim *annumerare minimè dubitavit. Italicam tamen ullam extare hujus Opuſculi verſionem, haud credo: binæ utique extant*

(*a*) Not. in Apologet. Tertull. XXIV.
(*b*) in Epiſt.

Gallicæ, quarum unam, cujuſdam ſcilicet Anonymi vulgavit Sallengrius (a) *anno* 1726. *alteram miſcellanearum I. I. Rouſſovii collectores* (b) *recentiſsimè*: *at uterque Gallicorum interpretum more, hoc eſt licentia maxima, ita ut ad libitum potius Interpretis, quam ad fidem Codicis, mentemque Authoris elaborata verſio videatur. Omitto quæ inutiliter ab utroque infarta ſunt, quæque incuriosè ſuppreſſa; unumque tantummodo neglectiſsimæ verſionis exemplum afferam ex Authoris Nenia excerptum.*

SENECA	ANONYMUS
Tibi jam cedet	„ Je vois des humains
Sede relicta	„ Le Juge equitable
Qui dat populo	„Remettre en vos mains
Jura ſilenti	„ Son urne terrible:
Cretæa tenens	„ Poetes nouveaux,
Oppida centum	„ Briſez vos trompettes,

b

(a) Contin. des Mem. de Litterature vol. I. p. 2.
(b) Oeuvres de I. I. Rouſſeau vol. XIV. Gen. 1772.

Cædite mæstis	„Rompez vos musettes,
Pectora palmis	„Et vos chalumeaux.
O Causidici	„Vous Joueurs illustres,
Venale genus	„Dont les dès heureux
Vosque Poetæ	„Ont comblé les veux
Lugete novi	„Le cours de deux lustres;
Vosque in primis	„Et vous Orateurs,
Qui concusso	„Troupe mercenaire,
Magna parastis	„Pleurez votre Pere,
Lucra fritillo	„Plaignez vos malheurs.

Ex cantu, avis. Nec elegantius, integriusque Genebensis, cujus versionem omitto, ne nimium TIBI *tædium afferam.*

Quod ad Protagonistam attinet, nemini novum hunc, venenato boleto, peremptum ab uxore Agrippina, aut per ipsam dato, aut per Halotum spadonem, ut citius Nero filius imperiale solium capesseret: quapropter ipse Nero in Claudii Ἀποθεώσει *illudens, Boletos* cibum Deorum, *Homerico proverbio vocabat. Ejusdem insuper vecordia, atque torpedo plane testantur ea, quæ a Svetonio traduntur; occisa videlicet*

Messalina uxore, paullo postquam *in triclinio decubuerat*, (a) cur Domina non veniret, *requisivisse*, *multosque ex iis*, *quos capite damnaverat*, *postremo statim die*, & ad convivium, & ad aleæ lusum admoneri, *jussisse*. *Nihilominus tantæ socordiæ virum inter cælites adscriptum omnes affirmant Historici*; *nam licet Nero Cælo eum dicasset*, *non ut honoraret*, *sed teste Plinio*, (b) ut irrideret, *certum tamen est eum Romano ritu consecrasse*. *Testantur hoc*, *dixi*, *Historici omnes*. *Tacitus sic*. (c) Cœlestes honores Claudio decernuntur, & funeris solenne perinde ac D. Augusto celebratur, æmulante Agrippina, proaviæ Liviæ, magnificentiam. *Svetonius*: (d) Funeratus est solemni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus; *&* *in Nerone*: (e) Claudium appa-

(a) Svet. in Cl. XXXIX.
(b) In Panegir. cap. XI.
(c) Ann. XII. 69.
(d) Cap. 45. (e) Cap. IX.

ratiſſimo funere elatum, laudavit, conſecravitque: *item in Veſpaſiano*: (a) fecit & nova opera, templum Pacis, foro proximum, Divique Claudii in Cælio monte. *Dio, lepidiſsimè*: (b) Agrippina autem, & Nero lugere ſe eum, quem necaverant ſimulavere; evexeruntque in cœlum, quem è convivio extulerant. *Eutropius*: poſt (c) mortem conſecratus eſt, Divuſque appellatus. *Hiſtoricis ſuffragantur numiſmata, quorum unum a Trajano cuſum, C. Patinus exhibuit in notis ad Svetonii Claudium*: *Bini etiam extant lapides, in quibus* DIVI = *titulus Claudio tribuitur*: *alter in collectione inſcriptionum Panormitanarum*.



(a) Cap. IX
(b) In Claudio, ſeu lib. LX.
(c) Brev. Hiſt. R. lib. VII. 13.

Hunc Cl. Muratorius perperam Claudio Gothico retulit, sed invictis argumentis a Cl. Gabriele Castellio supradictorum lapidum collectore, refellitur. Alter in Sponianis (a) *Miscellaneis*

C. GAVIO . L. F. STELL. SILVANO . &c.

DONIS . DONATO . A . DIVO . CLAVDIO . BELLO .

BRITANICO . TORQVIBVS . ARMILLIS . (b) &c.

Ceterum, de ritibus ethnicæ Ἀποθεώσις *post Dionem, Xiphilinum, Herodianum, ubertim scripsere eruditissimi* (c) *viri Bulengerus,* (d) *Blondus,* (e) *Kirbmannus Jo. Alb. Fabricius*: *festivè* (f) *argutèque Sarisberiensis,* (g) *hoc pacto*. Suos quoque Imperatores, deificavit fidelius inani solatio, perfidiam prætexens manife-

(*a*) Sect. V.

(*b*) Item in Tabula illa ænea quæ in Herculanii ruinis effossa est, quamque nunc possidet Matthæus de Capua Conchæ Princeps. V. Bonil Inscript. Cl. 11. 66.

(*c*) De Imp. R. lib. I.

(*d*) R. T. lib. II.

(*e*) De Fun. Rom.

(*f*) Biblioth. ant.

(g) De Nug. Cur. III. 10.

ſtam, perinde ac ſi ſorbitiunculas ei, quem peremerat, miniſtraret: eoſque mentiebantur in ſortem tranſiiſſe Numinum, ac ſi cœlo ſuo mundoque regendo, niſi Tyrannis adſcitis, Omnipotentis non ſufficiat manus. Facti ſunt ergo Divi Indigetes, aut ut aliis placet, Heroes, quos nec etiam humanà ſorte dignos Romanorum perfidia reputavit. *Aſt ubi ad facilius intelligendum Senecianam Satyram prodeſſe ejuſdem Conſecrationis deſcriptio poſſit, elegantiſſimam illam tranſcribam, quæ apud Herodianum magno ſine animi oblectamento perlegi nequit. Ubi ergo Severi conſecrationem enarrat, hæc interprete Politiano habet.* (a) Mos eſt Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis, vel ſucceſſoribus moriuntur. Quique eo ſunt honore affecti, relati dicuntur inter Divos. Eſt autem tota Urbe

(a) Lib. IV.

quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus. Quippe functum vita corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliunt. Sed certam imaginem defuncto quam simillimam fingunt, eamque in Regiæ vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum, atque sublimem, vestibus instratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit. Circa lectum verò utrinque magnam partem diei sedent, a læva quidem Senatus omnis vestibus atris amictus; a dextera verò Matronæ, quas virorum, aut parentum dignitas honestat. Harumque nulla, vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspicitur, sed vestibus albis exilibus indutæ, mœrentium speciem præbent. Hæc ita per septem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectumque velut ægrum deterius se habere subinde pronunciantibus. Dein ubi jam visus

obiiſſe diem, lectum humeris attollunt Equeſtris, Senatoriique ordinis nobiliſſimi, ac lectiſſimi juvenes, perque Viam ſacram in vetus Forum deferunt, ubi Magiſtratus Romani deponere imperium conſueverant. Utrinque autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus eſt è nobiliſſimis, atque Patriciis, altera Fœminarum illuſtrium, hymnos in defunctum pæanaſque canentium verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus peractis tollunt iterum lectum, atque extra Urbem perferunt in Martium campum, ubi quam latiſſimè campus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula, lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum; extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis

ſignis, variiſque picturis exornatum. Infra vero alterum minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma, & ornatu perſimile, portis januiſque patentibus. Tertiumque item, & quartum ſemper ſuperiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum quod eſt omnium breviſſimum, perveniatur. Poſſis ejus ædificii formam comparare turribus his, quæ portibus imminentes noctu igne prælato naves in tutas ſtationes dirigunt: Pharos vulgo appellant. Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata, & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbaſque ſuccoſque omneis odoratos conquirunt, atque acervatim effundunt. Quippe neque gens eſt, neque civitas, neque qui honore ullo, aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera Principis honori deferat. Ubi vero ingens aromatum acervus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tum

circa ædificium illud adequitant, universis equestris ordinis, certa quadam lege, ac recursu, motuque pyrrichio, numeroque in orbem decurrentibus. Currus item circumaguntur insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant ducum omnium Romanorum, principumque illustrium. Quæ ubi celebrata sunt, facem capit imperii Successor, eamque tabernaculo admovet. Tum cæteri omnes undique ignem subjiciunt, cunctaque illico fomitibus illis aridis, odoramentisque referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo, minimoque tabernaculo, tanquam e fastigio quodam, simul cum subjecto igni Aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipsam Principis animam deferre. Ac jam ex illo una cum cæteris Numinibus, Imperator colitur. *Hactenus Herodianus, cujus descriptioni, Tabernaculi, quod nos " Catafalco " vocamus, typum adjicere, prout in quibusdam nu-*

mismatis visitur, haud supervacaneum puto. Hunc accipe a Begero vulgatum (a)



In primo scilicet, tabernaculum, seu Rogum vides, quo incenso, cadaver in cineres redigebatur. In secundo Aquilam cremati Cæsaris animam in cœlum deferentem. Huic geminum fuit fortasse marmoreum illud simulacrum, Bovillis olim repertum, ac dein in Hispaniam, frustra reclamantibus summorum Pontificum legibus asportatum, illud, inquam, quod Clau-

(a) Not. in Florum lib. I. cap. I.

dium, aquilæ insidentem (a) *repræsentabat, quodque ad Senecianæ Satyræ textus ornatum, ære expressum, videbis. Nec audiendus interpres quidam Gallus, qui in versione* Historiæ artium *ab eruditissimo Winchelmanno germanicè editæ, hoc signum non Claudium, sed Caligulam repræsentare contendit. At quam erraverit Winchelmannus ipse, cum monumentum istud a quodam Anglo, nomine Gallovay, ex Hispania in Angliam adsportatum affirmarit, satis ostendit Cl. I. C. Carolus Fea, in notis, quibus Romanam ejusdem Operis editionem lucupletavit* (b). *Mos igitur consecrandi Imperatores initium (apud Romanos) sumpsit a Romulo, desiitque in Nerone, sed a Vespasiano* (c) *resumptus invaluit usque ad Placidium Valentinianum, qui postremus ex*

(a) Severol. in tract. de Apoth. & Fabrett. tab. Iliad. p. 384. Marangoni » delle cose Gentilesche &c. » cap. 35.
(b) Tom. III. p. 341.
(c) Svet. in Claud. cap. 45.

Cæſaribus in Deorum numerum eſt relatus, uti ex conſecratorum Principum elencho a Panvinio in Faſtis *digeſto, colligitur* (a). *Qui vero Chriſtianam Sanctorum Canonizationem geminam eſſe ethnicorum apotheoſi dictitarunt (ex quibus Hoſpinianus, J. A.Fabricius, Langhænius, Tollius, Chiffletius, Muſſardus, Zornius, aliique viri ceteroquin docti, ſed odio in Pontificios, uti nos vocant, obcæcati) profecto delirarunt, ideoque aut elleborum bibere, aut navigare Antyciras* (b) *debuerant. Reſtat denique ut iis ſatisfaciam, quibus mirum fortaſſe erit meos me Commentarios edidiſſe, licet hoc Senecianum opuſculum jamdiù tot eruditiſſimi Viri illuſtrarint. Brevi dicam, has me Adnotationes juvenilibus annis lucubraſſe, cum me omninò lateret Claudianam* ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΝ *fuiſſe a laudatis*

(a) Lib. 2.

(b) Conf. Petri Lazzari Diatr. *de falſa veterum Chriſtianorum rituum, a ritibus ethnicorum origine* p. 27. 28.

Viris elucidatam. Attamen me haud operam lusisse magna spes tenet, a die potissimum, quo tu, CAROLE frater, ad eas consultò recognitas, expurgatas, adauctasque, publici juris faciendas, repetitis officiis extimulasti. In TE enim, ut Aquinatis poetæ verbis utar, omnis studiorum meorum spes, atque ratio. Vale.



L. A. SENECAE

ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΣ

I. Quid actum sit in Coelo ante diem tertium [1] Idus Octobris, Asinio Marcello [2], Acilio Aviola Coss. anno [3] novo initio saeculi felicissimi [4], volo memoriae tradere. Nihil offensae [5], vel gratiae dabitur. Haec ita vera si quis quaesierit unde sciam: primum, si noluero, non respondebo. Quis coacturus est? Ego scio me liberum factum [6], ex quo suum diem obiit ille, qui verum proverbium fecerat, *aut regem [7] aut fatuum* nasci oportere. Si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam [8] venerit. Quis unquam ab Historico juratores [9] exegit? tamen si necesse fuerit Auctorem producere, quaerite ab [10] eo qui Drusillam [11] euntem in Coelum vidit. Idem Claudium vidisse se dicet iter facientem, non passibus [12] aequis. Velit, nolit, necesse est illi omnia videre, quae in Coelo agantur. Appiae viae [13] curator est: qua scis & divum Augustum, & [14] Tiberium Caesarem ad Deos isse. Hunc si interrogaveris soli narrabit: coram pluribus nunquam verbum faciet; nam ex quo in Senatu juravit se Drusillam vidisse

coelum adscendentem, & illi pro tam bono nuntio nemo [15] credidit quid viderit, verbis [16] conceptis adfirmavit, se non indicaturum etiamsi in medio foro hominem vidisset occisum.

II. Ab hoc ego quaecumque audivi certe clara affero, ita illum salvum, & felicem habeam. [17]

Jam Phoebus breviore via contraxerat ortum
Lucis, & obscuri crescebant cornua somni. [18]
Jamque suum Victrix augebat Cynthia regnum;
Et deformis hiems gratos carpebat honores
Divitis Autumni, jussoque senescere Baccho
Carpebat raras serus [19] *vindemitor uvas.*

Puto [20] magis intelligi, si dixero mensis erat October, dies [21] tertius Eidus Octobris. Horam non possum tibi certam dicere; facilius inter Philosophos, quam inter horologia [22] conveniet. Tamen inter sextam, [23] & septimam erat. Nimis rustice acquiescunt oneri poetae, non contenti ortus, & occasus describere, ut etiam medium diem inquietent. Tu sic transibis horam tam bonam. [17]

Jam medium cursum Phoebus diviserat orbem,
Et propior nocti fessas quatiebat habenas,
Obliquo fessam deducens tramite lucem.

Claudius animam agere coepit, nec invenire [24] exitum poterat. Tum Mercurius, qui semper ingenio [25] ejus delectatus esset, unam de tribus Parcis educit, [26] & ait: Quid foemina crudelissima hominem miserum tor-

queri pateris, nec unquam meritum, ut tamdiu cruciaretur? Annus sexagesimus, & quartus est ex quo cum Anima luctatur. Quid huic invides? Patere Mathematicos [27] aliquando verum dicere, qui illum ex quo Princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt. Et tamen non est mirum si errant: horam ejus nemo novit. Nemo illum [28] unquam natum putavit. Fac quod faciendum est.

[29] *Dede neci melior* [30] *vacua sine regnet in aula*. Sed [31] Clotho: Ego mehercule, inquit, pusillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, [32] civitate donaret. Constituerat enim omnes Graecos [33], Gallos, Hispanos, Britannos, togatos videre. Sed quoniam placet aliquos peregrinos [34] in semen relinqui, & tu ita jubes fieri, fiat. Aperit tum capsulam, & treis fusos profert. Unus erat Augurini, [35] alter Babae, tertius Claudii. Hos, inquit, treis uno anno, exiguis intervallis temporum divisos mori jubebo: nec illum incomitatum dimittam. Non oportet enim eum, qui modo se tot millia hominum sequentia videbat, tot praecedentia, tot circumfusa, subito solum destitui: contentus erit his interim convictoribus.

III. *Haec ait: & turpi convolvens stamina fuso.*
Abrupit [36] *stolidae regalia tempora vitae.*
At Lachesis [37] *redimita comas, ornata capillos,*
Pieria crinem lauro frontemque coronans,
Candida de niveo subtemina vellere sumit,

Felici moderanda manu : quae ducta colorem
Assumpsere novum : mirantur pensa sorores.
Mutatur vilis pretioso lana metallo :
Aurea [38] *formoso descendunt secula filo.*
Nec modus est illis felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus, sunt dulcia pensa:
Sponte sua festinat opus, nulloque labore
Mollia contorto descendunt stamina fuso.
Vincunt Tithoni, [39] *vincunt & Nestoris* [40] *annos.*
Phoebus adest, cantuque juvat, gaudetque futuris.
Et laetus nunc plectra movet, nunc pensa ministrat.
Detinet intentas cantu, fallitque laborem.
Dumque nimis citharam, fraternaque carmina laudant,
Plus solito nevere manus : humanaque fata
Laudatum trascendit opus. Ne demite Parcae,
Phoebus ait. Vincat mortalis tempora vitae,
Ille mihi [41] *similis vultu, similisque decore,*
Nec cantu [42]*, nec voce minor : felicia lassis*
Saecula praestabit, legumque silentia rumpet.
Qualis discutiens fugientia lucifer astra,
Aut qualis surgit redeuntibus Hesperus astris:
Qualis cum primum tenebris Aurora solutis
Induxit rubicunda diem, sol adspicit orbem
Lucidus, & primos e carcere concitat axes:
Talis Caesar adest, talem jam Roma Neronem
Adspiciet; flagrat nitidus fulgore remisso
Vultus & effuso cervix formosa capillo.

IV. Haec Apollo. At Lachesis, quae & ipsa homini fortissimo faveret, fecit, & plena orditur manu, & Neroni multos [43] annos de suo donat. Claudium autem jubent omnes χαίροντας [44] εὐ φημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Et ille quidem animam [45] ebullit, & eo desiit vivere videri. Expiravit autem dum [46] comaedos audit, ut scias me non sine causa illos timere. Ultima vox ejus haec inter homines audita est, cum majorem [47] sonitum emisisset illa parte, qua facilius loquebatur: Vae me; puto concacavi [48] me. Quid autem fecerit, nescio: omnia certe concacavit. Quae in terris postea sint acta supervacaneum est referre. Scitis [49] enim optimè: nec periculum est, ne excidant, quae memoriae publicum gaudium impresserunt. Nemo felicitatis suae obliviscitur.

V. In coelo quae acta sint audite: fides penes auctorem erit. Nuntiatur Jovi [50] venisse quemdam bonae [51] staturae, bene [52] canum, nescio quid illum minari: assidue enim caput movere, [53] pedem dextrum [54] trahere, quaesisse se cujus nationis esset? respondisse nescio quid perturbato sono, & voce [55] confusa, non intelligere se linguam ejus: nec Graecum esse, nec [56] Romanum, nec ullius gentis notae. Tum Jupiter, Herculem, quia totum orbem terrarum pererraverat, & nosse videbatur omnes nationes, jubet ire, & explorare quorum hominum esset. Tum Hercules primo adspectu sane perturbatus est, ut qui etiam non omnia monstra timuerit: ut vidit novi generis [57] faciem, insolitum inces-

sum, vocem nullius terrestris animalis, sed (qualis esse marinis belluis solet) raucam, & implicatam, putavit sibi tertium [58] decimum laborem venisse. Diligentius intuenti, visus est quasi homo. Accessit itaque, & quod facillimum fuit Graeculo ait: τίς [59] ποθενεῖς ἀνδρῶν ποθιτοί πτόλις Ubi haec Claudius, *audit*, gaudet esse illic philologos [60] homines futurum [61] aliquem historiis suis locum, itaque & ipse Homerico versu Caesarem se esse significans ait: [62]

Ἰλιοθεν μεφέρων ἄνεμος Κικονεος ἰπέλαθσεν.

Erat autem sequens versus verior aeque Homericus [63]

Ἔνθα δ' εγὼν πόλιν ἔπραθον ὤλεσα δ' αύτυς

& imposuerat Herculi homini minime vafro, nisi fuisset illic Febris, [64] quae, fano suo [65] relicto, [66] sola cum illo venerat ceteros omnes Deos Romae reliquerat. Iste, inquit, vera mendacia narrat. Ego tibi dico, quae cum ipso tot [67] annos vixi: Lugduni natus [68] est. Marci [69] municipem [70] vides: quod tibi narro ad sextum decimum lapidem, a Vienna, natus est: Gallus Germanus [71]. Itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit [72]. Hunc ego tibi recipio Lugduni natum, ubi Licinius [73] multos annos regnavit [74]. Tu autem qui plura loca calcasti, quam ullus multo perpetuarius [75], Lugdunenses [76] scire debes, & multa millia inter Xanthum, [77] & Rhodanum interesse.

VI. Excandescit hoc loco Claudius, & quanto potest [78] murmure irascitur. Quid diceret, nemo intelligebat. Ille autem Febrim duci jubebat, illo gestu solutae ma-

nus, & ad hoc unum satis firmae, quo decollare homines solebat. Jusserat illi collum praecidi. Putares omnes illius esse libertos [79], adeo illum nemo curabat. Tum Hercules: Audi me, inquit, tu, & desine fatuari: venisti huc ubi mures [80] ferrum rodunt. Citius mihi verum, *dicito*, ne tibi [81] alogias excutiam. Et quo terribilior esset tragicus fit, & ait:

Exprome propere, sede qua genitus cluas, [82]
Hoc ne peremptus stipite, ad terram accidas.
Haec [83] *clava reges* [84] *saepe mactavit feros.*
Quid nunc profatu vocis incerto sonas?
Quae patria, quae gens mobile eduxit caput,
Edissere: equidem regna tergemini petens
Longinqua regis, unde ab Hesperio mari
Inachiam ad urbem nobile advexi pecus
Vidi duobus imminens fluviis jugum
Quod Phoebus, ortu semper obverso videt:
Ubi Rhodanus ingens amne praerapido fluit,
Ararque dubitans quo suos cursus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.
Estne illa tellus spiritus altrix tui?

VII. Haec satis animosè, & fortiter. Nihilominus mentis suae non est, & timet μωρȣ πληγην [85]. Claudius ut vidit virum valentem, oblitus nugarum intellexit neminem parem sibi Romae fuisse: illic non habere se idem gratiae: Gallum [86] in suo sterquilinio plurimum posse. Itaque quantum intelligi potuit, haec visus est dicere: Ego te

fortissime Deorum Hercules, speravi mihi affuturum apud alios, & si quis a me notorem petisset, te fui nominaturus, qui me optime nosti. Nam si memoria repetis, ego eram, qui tibi*jus dicebam ante Templum tuum [87] totis diebus mense Julio, [88] & Augusto. Tu scis quantum illic [89] miseriarum pertulerim cum causidicos [90] audirem, & diem, & noctem: in quos si incidisses, valde fortis licet, maluisses cloacas [91] Augiae purgare: multo plus ego stercoris [92] exhausi. Sed [93] quoniam volo, non mirum quod impetum in curiam fecisti: nihil tibi clusi est. Modo dic nobis qualem Deum istum fieri velis: Ε'πικούρειος [94] θεος non potest esse: ουτε αυτος πρᾶγμα εχει ουτε ἄλλοις παρεχει. Stoicus? quomodo potest [95] rotundus esse (ut ait Varro) sine [96] capite, sine praeputio [97]? Est aliquid in eo Stoici Dei: jam video nec cor, nec caput [98] habet. Si mehercules a Saturno petisset hoc beneficium, cujus mensem toto anno celebravit Saturnalia [99] ejus princeps non tulisset. Illum Deum ab Jove, quem quantum [100] quidem in illo fuit damnavit incesti [101]. L. Silanum enim [102] generum suum occidit. Oro propter quid? Sororem suam festivissimam omnium Puellarum, quam omnes Venerem [103] vocarent maluit Junonem [104] vocare. Quare, inquit, [105] quaero enim, sororem suam stulte studere? Athenis [106] dimidium licet, Alexandriae totum [107]? Quia Romae, inquit, mures [108] molas lingunt: hic nobis curva [109] corrigit. Quid in cubiculo suo faciat nescio: etiam coeli scrutatur [110] plagas, Deus fieri vult. Parum est quod templum in [111]

Britannia habet quod hunc Barbari colunt, & ut Deum orant. Ἀλῶρω φιλάτω χηὶν [112].

VIII. Tandem Jovi venit in mentem, privatis intra [113] Curiam morantibus sententiam dicere, nec disputare: Ego, inquit, P. C. interrogare vobis permiseram, vos mera [114] mapalia fecistis. Volo servetis disciplinam curiae. Hic, qualiscumque est, quid de nobis existimabit? Illo dimisso, primus interrogatur sententiam Janus [115] pater: is designatus [116] erat in Kalendas Julias post [117] meridianus Cos. Homo quantumvis vafer, qui semper [118] videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. Is multa diserte, quod in foro vivat, dixit, quae notarius [119] persequi non potuit, & ideo non refero: ne aliis verbis ponam, quae ab illo dicta sunt. Multa dixit de magnitudine Deorum: non debere hunc vulgo dari honorem. Olim, inquit, magna res erat, Deum fieri: jam fama nimium [110] fecisti. Itaque ne videar in personam, non in rem sententiam dicere, censeo ne quis post hunc diem Deus fiat [121] ex his, qui ἀρούρης [122] καρπὸν ἔδουσιν; aut ex his, quos alit ζείδωρος ἄρουρα. Qui contra hoc S. C. Deus factus [123], fictus, pictusque erit, eum dedi larvis, & proximo [124] munere inter novos [125] auctoratos ferulis vapulare placet.

IX. Proximus interrogatur [126] sententiam Diespiter [127] Vicae [128] Potae filius, & ipse designatus Cos. nummolariolus [129]. Hic quaestu se sustinebat, vendere civitatulas solebat [130]. Ad huncce belle accessit Hercules, & auriculam [131] ei tetigit. Itaque in haec verba censet: Cum

e

Divus Claudius Divum Augustum sanguine contingat, nec minus Divam Augustam aviam suam, quam ipse Deam [132] esse jussit, longeque [133] omnes mortales sapientia antecellat, sitque è rep. esse aliquem, qui cum Romulo possit

. . . . *Ferventia rapa vorare :* [134]

censeo, ut T. Claudius ex hac die Deus fiat, ita uti ante eum quis optimo jure factus sit : eamque rem ad [135] μεταμορφώσεις Ovidii adjiciendam.

X. Variae erant sententiae, & videbatur Claudius sententia vincere. Hercules enim, *cum* videret ferrum suum [136] in igne esse, modo huc, modo illuc cursabat: & ajebat : Noli mihi invidere, mea res agitur: deinde si quid volueris invicem faciam : Manus manum lavat [137].

XI. Tunc Divus Augustus surrexit sententiae suae dicendae, & summa facundia disseruit. P. C. vos testes habeo, ex quo Deus factus sum nullum verbum me fecisse: semper meum negotium ago. Sed non possum amplius dissimulare, & dolorem, quem graviorem pudor facit, continere. In hoc terra [138], marique pacem peperi? ideo civilia bella compescui? ideo legibus [139] urbem fundavi, operibus [140] ornavi? Et quid dicam P. C. non invenio: omnia infra indignationem verba sunt. Confugiendum est itaque a me ad Messalae [141] Corvini dissertissimi viri illam sententiam: *Praecidit jus imperii*. Hic P. C., qui nobis non posse videtur muscam excitare, tam facile homines occidebat, quam [142] canis exta edit. Sed quid ego de tot acribus viris dicam? Non vacat deflere pu-

blicas clades, intuenti domestica mala. Itaque illa omittam, haec referam. Etiamsi Phormea, [143] Graece nescit, ego scio ENTI'KONTONYKENΔIHC senescit. πυργοπολινίκης iste quem videtis, per tot annos sub meo [144] nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas [145] Julias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame: unum abnepotem L. Silanum [146]. Videris Jupiter, an in causa mala, [147] certe in tua, si hic inter nos futurus est. Dic mihi Dive [148] Claudi, quare quemquam ex his, quos, quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires [149] damnasti? hoc fieri solet? in Coelo non fit. Ecce Jupiter qui tot annos regnat, uni Vulcano [150] crus fregit, quem [151]

Ρῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλȣ̃ θεσπεσίοιο.

& iratus fuit uxori, & suspendit [152] illam: numquid occidit? Tu Messalinam cujus aequè Avunculus major eram, quam tuus, occidisti. Nescio [153], inquis? Dii tibi malefaciant: adeo istud turpius est, quod nescis, quam quod occidisti. Iste C. Caesarem non desiit mortuum [154] persequi. Occiderat ille [155] Socerum, hic [156] & Generum: [157] Cajus Caefar Crassi filium vetuit [158] Magnum vocari; hic illi nomen reddidit, caput tulit. Occidit in una domo Crassum Magnum, Scriboniam [159], Tristioniam [160], Assarionem, nobiles tamen: Crassum [161] vero tam [162] fatuum, ut etiam regnare posset. Cogitate P. C. quale portentum [163] in numerum Deorum se recipi cupiat. Principes [164] pietate, & justitia Dii fiunt. Scilicet hic pius [165],

& justus quoniam Druidarum perfidae gentis Gallicae immanem religionem, a qua cives submoveram, prorsus extirpavit, ut Romae nuptiarum sacra essent, quibus ipse cum sibi Agrippina nuberet XXX [166] Senatoribus innumerisque Equitibus Romanis mactatis principium dedit. Hunc nunc Deum facere vultis? Videte corpus ejus Diis iratis [167] natum. Ad summam tria [168] verba citò dicat, & servum me ducat. Hunc Deum quis colet? quis credet? Denique dum tales Deos facitis nemo vos Deos esse credet. Summa rei P. C. si honestè inter vos gessi, si nulli durius respondi, vindicate injurias meas. Ego pro sententia mea hoc censeo. Atque ita [169] ex tabella recitavit: Quandoquidem Divus Claudius occidit socerum suum Appium Silanum, generos duos, Pompejum Magnum, & Lucium Silanum, socerum filiae suae Crassum, frugi hominem, tam similem sibi, quam ovo [170] ovum, Scriboniam socrum filiae suae, Messalinam uxorem suam, & ceteros, quorum numerus iniri non potuit; placet mihi in eum severe animadverti, nec illi rerum judicandarum vacationem *dare*, eumque quamprimum exportari, & coelo [171] intra dies XXX excedere, Olimpo intra diem tertium.

XII. Pedibus in hanc sententiam itum est [172]. Nec mora; [173] Cillenius illum, collo [174] obtorto, trahit ad inferos [175].

Illuc unde negant redire quemquam [176].

Dum descendunt per viam Sacram [177] interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum, num

Claudii funus esset ? Et erat omnium formosissimum & impensa cura plenum , ut scires Deum efferri , cornicinum [178], tibicinum [179], omnisque generis aeneatorum [180] tanta turba , tantus conventus , ut etiam Claudius audire posset. Omnes laeti , hilares , P. Ro. ambulabat tamquam liber . Agatho [181], & pauci causidici plorabant, sed plane ex animo . Jurisconsulti è tenebris [182] procedebant, pallidi , graciles , vix habentes [183] animam , tamquam qui cum maxime reviviscerent . Ex his unus cum vidisset capita conferentes , & fortunas suas deplorantes causidicos accedit , & ait . Dicebam vobis . Non semper Saturnalia [184] erunt.

XIII. Claudius, ut vidit funus suum, intellexit se mortuum esse. Ingenti enim [185] μεγαληγορία nenia cantabatur anapaestis .

Fundite fletus ,[186]	*Edite planctus*
Fingite luctus :[187] ..	*Resonet tristi*
Clamore forum:	*Cecidit pulcrè*
Cordatus homo ,[188]	*Quo non alius*
Fuit in toto	*Fortior orbe*
Ille citato	*Vincere cursu*
Poterat celeres ,	*Ille rebelles*
Fundere Parthos [189]	*Levibusque sequi*
Persida telis,	*Certaque manu*
Tendere nervum :	*Qui praecipites*
Vulnere parvo	*Figeret hostes*
Pictaque Medi [190]	*Terga fugacis*

Ille Britannos [191]
Ultra noti
Littora ponti,
Et coeruleos
Scuta. Brigantas [192]
Dare Romuleis
Colla catenis [193]
Jussit, & ipsum
Nova Romanae
Jura securis
Tremere Oceanum
Deflete virum,
Quo non alius
Potuit citius
Discere causas,
Una tantum
Parte audita,
Saepe & neutra
Quis nunc judex
Toto lites
Audiet anno? [194]
Tibi jam cedet
Sede relicta,
Qui dat in populo [195]
Jura silenti [196]
Cretaea tenes
Oppida centum. [197]
Caedite moestis [198]
Pectora palmis,
O caussidici,
Venale genus,
Vosque Poetàe [199]
Lugete novi
Vosque in primis
Qui concusso
Magna parastis
Lucra fritillo. [200]

XIV. Delectabatur laudibus suis Claudius, & cupiebat diutius spectare. Injicit illi manum [201] Talthybius [202], Deorum nuntius, & trahit capite obvoluto, ne quis eum possit agnoscere, per campum Martium: & inter Tiberim, & viam [203] Rectam descendit ad inferos. Antecesserat jam compendiaria via Narcissus [204] libertus, ad patronum excipiendum, & venienti nitidus, ut erat a balineo [205], occurrit, & ait: Quid Dii ad homines? ce-

lerius inquit Mercurius, & venire nos nuntia. Ille autem patrono plura blandiri volebat, quem Mercurius iterum festinare jussit, & virgâ [106] morantem impulit. Dicto citius Narcissus evolat. Omnia procliva sunt, facile descenditur. Itaque quamvis podagricus esset momento temporis pervenit ad januam [107] Ditis: ubi jacebat, ut ait Horatius, bellua [108] centiceps sese movens, villosque horrendos excutiens pusillum superturbatur (albam canem in deliciis habere consueverat) ut illum vidit canem nigrum villosum sane, quem non velis tibi in tenebris occurrere: & magna inquit voce: CLAVDIVS CAESAR VENIT. Ecce extemplo cum plausu procedunt cantantes [109] Εὑρήκαμεν συγχαίρωμεν.

XV. Hic erat C. Silius Cos. design. [110] Junius Praetorius, Sex. Trallus, M. Helvius Trogus [111], Cotta Tectus, [112] Valens, Fabius, .Equ. Rom. [113], quos Narcissus duci jusserat [114]. Medius erat in hac cantantium turba [115] Mnester Pantomimus, [116] quem Claudius decoris causa minorem fecerat. Nec non ad Messalinam cito rumor percrebuit, Claudium venisse. Convolarunt primum omnium liberti, Polybius, [117] Myron, Harpocras [118], Amphaeus, & Pheronactes, quos omnes, nec ubi imparatus esset, praemiserat. Deinde praefecti duo Justus [119] Catonius, & Ruffus [120] Pompeji F. deinde amici Saturnius Luscius, & Pedo Pompejus [121], & Lupus, & Celer Asinius, consulares. Novissime fratris filia, sororis filia, gener, socer, [122] socrus, omnes plane consanguinei. Et agmine facto

Claudio occurrunt. Quos cum vidisset Claudius exclamat, πάντα φίλων πλήρη [223]. Quomodo vos huc venistis? Tum Pedo Pompejus: quid dicis homo crudelissime? quaeris, quomodo? quis enim nos alius huc misit, quam tu, omnium amicorum interfector? In jus eamus [224]: ego tibi hic [225] sellas ostendam. Ducit illum ad tribunal Aeaci: [226] is lege Cornelia, quae [227] de sicariis lata est, quaerebat: postulat nomen ejus recipi, edit subscriptionem: Occisos Senatores XXX. [228], Equites Rom. CCCXV. atque plures: caeteros CCXXI. ὅσα ψάμμαθός τε κόνις [229] τε.

XVI. Exterritus Claudius oculos undecumque circumfert, vestigat aliquem patronum, qui se defenderet. Advocatum non invenit. Tandem procedit P. Petronius [230], vetus convictor [231] ejus homo Claudiana [232] lingua disertus, & postulat [233] advocationem. Non datur [234]. Accusat Pedo Pompejus magnis clamoribus. Incipit Petronius velle respondere. Aeacus, homo [235] justissimus vetat. Illum tantum altera parte audita condemnat, & ait: Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα [236] γένοιτο. Ingens silentium factum est.

XVII. Stupebant omnes novitate rei attoniti: negabant hoc unquam factum: Claudio iniquum magis videbatur, quam novum. De genere poenae diu disputatum est, quid illum pati oporteret. Erant qui dicerent, si uni Dii [237] laturam fecissent, Tantalum [238] siti periturum, nisi illi succurreretur: non unquam Sisiphum [239] onere relevari: aliquando Ixionis [240] miseri rotam sufflaminandam [241]. Non

placuit ulli ex veteranis missionem[142] dari, ne[143] vel Claudius unquam simile speraret. Placuit novam poenam excogitari debere; instituendum illi laborem irritum, & alicujus cupiditatis species sine fine & effectu.

XVIII. Tum Aeacus[144] jubet illum alea ludere[145] pertuso[146] fritillo. Et jam coeperat fugientes semper tesseras quaerere, & nihil proficere.

Nam quotiens missurus erat resonante fritillo,
Utraque[147] subducto fugiebat tessera fundo:
Cumque recollectos auderet mittere talos,[148]
Lusuro similis semper, semperque petenti,
Decepere fidem: refugit, digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.
Sic cum jam summi tanguntur culmina montis,
Irrita Sisyphio volvuntur pondera collo.

Apparuit subito C. Caesar, & petere illum in servitutem coepit: producit testes qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis[149] vapulantem. Adjudicatur C. Caesari: illum Aeacus donat. Is Menandro liberto[150] suo tradidit, ut a cognitionibus[151] ei esset.

f

NOTAE

ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΣ. *Apocolocyntosis*. Male Xilander latine reddidit *de immortalitate*, *fungo parta*; nam, monente Fonnondo, κολοκύντη; aut κολοκύνθη, unde ἀποκολοκύντωσις derivatur, *cucurbitam* significat, non fungum, aut boletum. Boletus quidem nomen græcum habet proprium Βωλετης. Erravere pariter Raderus in Mart. lib. I. & Torrentius in Svet. V., ubi uterque de hujusce Satyræ titulo loquitur, ac si hoc vocabulo Claudii mors, mortisque genus indicaretur. Falsò Nic. Faber asseruit a Dione exponi hujus Satyræ titulum, atque affirmari, *Apocolocyntosis* voce, Senecam enunciasse Claudium ἀποθέωσιν fuisse assecutum boletorum gratia. Falsissimè demum Ant. Canquius, Dionis historiarum Gallicus interpres, Claudium periisse, non fungorum, sed olivarum esu affirmavit. Apocolocyntosis, igitur, vocabulum est a Seneca compositum, qui ἀποθεωσεως nomen imitatus, hoc ἀποκολοκυντωσεως, ad Aristophanis, Plautique exemplum, finxit; id est *Incucurbitatio*, quo designare voluit, Claudium, non inter Deos relatum fuisse, sed inter Cucurbitas, quæ a Græcis κολοκυντα vocantur, quæque fatuitatis sunt symbola, uti docet Pierius Valerianus *Hieroglyph.* LVIII. 12. Hinc Hermippus apud Athenæum *Deipnosoph* lib. 2.

Quantum habet caput rogas? quantum cucurbita.

Ita Apulejus, A. A. lib. 1. non sensu, quo intelligit Beroaldus, sed fatuitatem notans, *Nos*, inquit, *cucurbitæ caput non habemus, ut pro te moriamur*. In eamdem sententiam est illud Juvenalis Sat. XIX.

vacuumque cerebro

Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat.

Cæterum, quam hic titulus Claudio congrueret, hæc Svetonii verba plane demonstrant. *Variis*, ait cap. 20, *& tenacibus morbis*

conflictatus eſt adeo, *ut animo ſimul*, *& corpore hebetato*, *ne progreſſa quidem ætate*, *ulli publico privatoque muneri habilis exiſtimaretur*: & inferius cap. 39. *Inter cætera in eo mirati ſunt homines μετεωρίαν*, *& ἀβλεψίαν*, h. e. oblivionem, & inconſiderantiam. Antonia ipſa, ſi quos ſocordiæ argueret, eos *ſtultiores filio ſuo Claudio* vocabat. Idcirco, cum Nero, in oratione, quam ad Senatum habuit, de Claudii providentia verba feciſſet, nemo, teſte Tacito Ann. XIII. temperare riſui potuit. Notandum curſim Cæſarum conſecrationem non ſolum Senecam, ſed Julianum quoque Apoſtatam irriſiſſe, ut videre eſt in iſtius *Cæſaribus* a Carolo Cantoclaro, & Petro Morentino latinitate donatis, atque a Dionyſio Petavio editis.

1. ANTE DIEM TERTIVM IDVS OCTOBRIS

Si quæ heic a Seneca fabulantur evenere ante diem tertium Idus Octobris, censendum est accidisse IV. Idus ejusdem; hoc est die XII. non vero XIII. Octobris. Cum enim Auctor noster, Claudii consecrationis diem inter atros satyricè retulisset, scripsisse eum puto *Ante diem* &c. more Romanorum, apud quos dies, quibus aliquid triste, infaustumque evenerat, innominales erant, quemadmodum apud Græcos, Αποφράδες. Quapropter Q. Claudius ab A. Gellio laudatus, cum de pugna Cannensi loqui institueret, haud III. *Nonas Sextilis*, quo die cæsa Romanorum XL. millia, sed *Ante diem* IV. nonas Sextilis, die scilicet quarto ante nonas hujus mensis, nempe, cal. Aug. seu die I. Aug. scripsit. Verumtamen obscura, & flexiloqua mihi hæc videtur formula: nam si Claudius obiit (ut omnes asserunt Scriptores) III. Idus Oct. quomodo heic obiisse dicitur die quæ diem tertium præcesserat? Sane Salmasius formulam *ante diem tertium calendas*, nil aliud significare, quam *diem tertium ante calendas*, opinatur; & pro *ante diem tertium calendas Februarias*, *diem tertium* intelligit, *qui calendas præcedit* ejusdem mensis. Inter inscriptiones, quas in S. Severæ epitaphii commentario vulgavit doctissimus A. M. Lupius, quasdam hoc pacto signatas reperimus p. 88.

N. 2. GAL. ⅄D (ante diem) XII. K. MAR.
N. 11. LVTATIA. AD. IV. KO calendas Octobris
N. 36. ⅄AI (aemilius) A. D. XIII. K. < MAIAS
N. 6. CЄΞCTO &c. *Sexto Clodio*

ANTIΔIONTEPTIONNΩNAIC

In his quis non legat GALIVM obiisse die XVII. Februarii: LVTATIAM die XXVII. Septembris: AEMILIVM die XVIII. Aprilis: SEXTVM CLODIVM die II. fortasse Septembris? Huic sententiæ accedunt Toinardus, & Norisius; ille in not. ad opusc. *de Mort. Persecut.* cap. 2. Hic in Cenotaph. Pis. p. 345. Ed. Ven. ubi infirmum de hac re Baluzii judicium refellit. Si ergo laudatorum virorum opinio admittatur, cum de calendis sit sermo, haud respuendam censeo, cum de nonis, vel de idibus agatur. Præterea si hac utebantur formula Historici in recensendis tantummodo rebus eventu tristibus, quare Tacitus ea usus sit, cum de Germanico triumphante ageret, non

assequor. Is equidem Ann. lib. II. cap. 41. *Ante diem*, inquit, VII. *Kalendas Junias*, *Germanicus triumphavit de Cheruscis*, *Cattisque &c.* Num de hostibus triumphare, infortunium? De hoc vero loquendi more consulendi A. Gellius N. A. IV. 9. & V. 17. Macrobius Saturn. 1. 16. At his consultis, omnibusque viris eruditissimis, qui de hac re disseruerunt, Gronovius, Fromondus, Thysius, Oizelius, Pontanus, Meursius, Norisius, Baluzius, Toinardus, aliique, nihil certi tamen statui posse videtur. Salmasius ipse, qui de hac re plurima mandavit Frid. Gronovio, tantam in Epistolas 124. & 125. verborum copiam inseruit, ut tenebras tenebris addiderit. Rebuffus quæstionem istam plus subtilitatis habere, quam utilitatis rebatur. Budæus, & Alciatus asserunt, Paullum J. C. (cujus verba in L. *Anniculus* 132. D. *de verbor. signific.* viros doctissimos exercuerunt) ludere potius, & morari lectorem hoc grypho voluisse, quam docere, ita ut inutile sit verum illorum verborum sensum perscrutari. Attamen Adrianus Junius hæc veluti ex tripòde, profert. *Obiit Claudius* XIII. *die Octobris*, h. e. *juxta Romanæ dictionis filum*, *tertio Idus Octobris*. *Nam quod dubitationis periculum creare nonnullis posset illud Senecæ*, Ante diem tertium Idus Octobris, *non ita accipiendum est*, *ut die uno*, *aut altero mors Claudii tertium Idus præcesserit : immo purè*, *putèque idem est dicere* Ante *diem tertium Kalend. vel* Idus; *&*, *Tertio* Kal.; *vel* Idus. Si vera hæc sunt, gratulor Junio, quod nodum hunc, insolubilem tot viris doctissimis, tam feliciter, paucisque verbis dissolverit. Ego (fateor) haud percipio, *Ante diem*, eumdem diem, de quo agitur, significare. Igitur juxta Junii sententiam, cum nos italice dicimus CLEMENTEM. XII. (qui mortuus est die VI. Febr. 1740.) obiisse „ *il giorno innanzi alli sette* » intelligi debet purè putèque obiisse non die VI., sed VII. quod *purè*, *putèque* absurdissimum foret. Verum quid si diceretur τὸ ANTE DIEM tertium, designare (heic saltem) ANTE LVCEM tertiam, Claudium, nempe spiritum emisisse summo mane, priusquam dilucesceret? Romani profecto eo more, quo acta ante medium noctis, diei qui præterierat, adscribebant, ita, acta post mediam noctem, & ante lucem, eo die gesta dicebant, qui eam noctem sequebatur, uti testatur Censorinus de D. N. cap. 23. Posita ergo antelucana Claudii morte, potuit Seneca, pro die III. idus Oct. peræque scribere *Ante diem tertium* &c. h. e. die tertio antequam Phosphorus illius diei lucem reddidisset: & hanc fuisse Authoris

mentem, ex ſequentibus conjicio, cum non *Ante diem*, ut heic, Claudium obiiſſe ſcribat, ſed abſolutè, *die tertio*. Haud ignoro Neronem (Svet. in Ner. 8.) ad excubitores proceſſiſſe *inter horam ſextam, & ſeptimam*, ideſt medio diei III. Id. Oct. Sed conſtat ex eodem Hiſtorico, Agrippinæ juſſu, Claudii (quemadmodum olim Tarquinii Priſci, calliditate Tanaquillæ, & Antiochi II. Laodiciæ artificio) *mortem* cælatam fuiſſe donec circa ſucceſſorem omnia ordinarentur. Svetonii quidem verba confirmat Auctor Octaviæ trag. Act. III. ubi Agrippina

Extinctus umbras agitat infeſtus meas
Flammiſque vultus noxios conjux petit
Inſtat, minatur, imputat fatum mihi
Tumulumque.

Sane veteres, diem *Lucem*, lucemque *Diem* promiſcuè vocaſſe, nemo neſcit, extantque exempla apud Ciceronem, Ovidium, Senecam, Virgilium, Martialem, Gellium, &c. At confer Pauli Baudrii notas ad Lact. de mort. Perſecut. cap. II. & vide inferius Not. 21., & 23.

2. ASINIO. MARCELLO, ACILIO. AVIOLA COSS.

Anno ab V. C. 807. Chr. 54. Neronis Imp. I. Panvinius, invento lapide in quo legebatur.

Q. ASINIVS M. F. MARCELLVS. COS.

eidem (Faſt. lib. II.) QVINTI. prænomen adſignavit: ſed erraſſe; & cum Panvinio Leunclavium atque Fabrettum, dubitavit Norifius in *Epiſt. Conſ.* Acilii Aviolæ etiam prænomen, num MANIVS fuerit, an MARCVS, incertum. At hunc, Conſularem, illum fuiſſe Aviolam, de quo Plinius tradit in rogo revixiſſe, & quoniam ſubveniri non potuerat prævalente flamma vivum crematum, anachroniſmus eſt ejuſdem Panvinii, quem latebat hæc eadem de quodam Acilio Aviola, a Valerio Maximo, qui libros ſuos Tiberio imperante exaravit, eſſe relata. Lib. 1. cap. 8. 12.

3. ANNO NOVO

Novum annum, non uno modo dici apud veteres obſervant Eruditi. Aliquando enim initium anni, ſeu calendas Januarias ſignificat: hinc S. Maximus Taurin. *Homil.* de *Kal. Jan.* hæc profert:

Non inconvenienter, *secundum se*, Novum *appellant annum*, *quoniam per nefandas ferias de honestate falsa turpitudo*, *& perversitas innovatur*. Novum *vocant annum quasi novi aliquid*, *aut cælum tunc ostendat*, *aut terra*: &, *annum* Novum *Januarias appellant Kal.*, *cum vetusto semper errore*, *& horrore sordescant*. Quapropter cautum a Conciliis Turonensi, & Antisiodorensi, ne secundum Gentilium errorem calendas Januarias quisquam coleret. Alias novus annus vocatur cujuscumque anni partis initium: unde Gellius XVIII. *Ambulabamus autem in littore*, *quum jam advesperasceret*, *æstate* anni novi. Sic Tibullus I. El. I.

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus.

Nonnulli tamen malunt *annum novum*, nil aliud significare, quam primum, Magistratus initi, diem, auctoritate Symmachi scribentis I. Epist. 22. *Abundè gaudeo cum te Consulem novus annus expectat*; & Statius de XVII. Domitiani consulatu Silv. IV.

insignemque aperit Germanicus annum
Atque oritur cum Sole novo.

Plerique demum per ΤΟ' *novum*, existimant initium Imperii, sive primum novi Imperatoris annum designari: quæ interpretatio in hunc locum aptissimè quadrat, cum postremus Claudii annus, primus fuerit Neroniani Imperii. Duplicem revera natalem in principibus veteres considerabant: quo scilicet in hanc lucem a Matre fuerant editi, & quo (quasi renati, novique homines facti) Imperium susceperant. V. Rittershusium ad Plinii lib. II. Epist. 18. Sunt qui opinentur Auctorem his verbis indicasse (more exterorum, qui ab autumno anni principium sumebant) anni illius initium; verum quis credat Senecam Romæ degentem, aliarum potius gentium rationem secutum, quam Romanorum?

4. SECVLI FELICISSIMI

Rectius dixisset, *continuatio sceleſtiſſimi*, ideoque *infauſtiſſimi ſeculi*. Attamen Fromundus conqueritur cum Seneca, quod bonum, faustumque futurum speraret Neronis seculum. Verum si noster Satyram istam conscripsit jam ad flagitia converso Nerone, hoc est post ejusdem imperii quinquennium εἰρωνικῶς forte loquebatur; si vero intra quinquennium, Nerone scilicet adhuc fictæ virtutis specie personato, non adulationis gratia hæc illum asseruisse reor, sed ex veritate. Neroniani etenim imperii exordia laudabilia, nemo diffitetur, adeo ut merito teste Aur. Victore *de Cæs.* V. Trajanus

affirmarit, *procul distare cunctos Principes a Neronis quinquennio*: Quapropter, nemo Senecam increpavit, quod suos de Clementia libros Neroni dicaverit, eumque eximia laude ornaverit: tunc enim Monstrum illud futuræ sævitatis specimen nondum dederat. Audiatur Svetonius. Nero *ut certiorem adhuc indolem ostenderet*, ex Augusti præscripto imperaturum se *professus neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit. Graviora vectigalia, aut abolevit, aut minuit .... Et cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut de more subscriberet, admoneretur*: Quam vellem, *inquit*, nescire litteras. Cap. 10. Quo anno vero Satyrographus noster hanc in Claudium evomuerit Menippæam, mihi incompertum, neque ex Dione, quidquid dixerit Nic. Faber, erui potest. Dio enim annum non indicat. Pro certo tamen habeo exaratam fuisse post Claudio tributos divinos honores; hoc est post annum imperii Neronis primum.

5. NIHIL OFFENSAE.

Commemorat procul dubio injuriam a Claudio acceptam, qui eum ob suspicionem adulterii cum Julia Germ. F. in Corsicam insulam relegavit. Cæterum nihil Senecam, cum ludricam hanc fabulam orderetur, gratiæ dedisse, satis patet; nihil vero offensæ, credet nemo. Profectò, licet injuriarum remedium, ut docet Publius Syrus *in Mim.* sit oblivio, perrarò tamen hoc mortales, injuria affecti, uti remedio comperimus. Hinc Rhenanus, *in causa*, inquit, *nonnihil fuisse crediderim, cur sic Claudium insectaretur, quod sub eo exulavit*. Meminisse vero hujus rei Senecam, *de Brev. vitæ ad Paulinum*, Rhenani somnium est. In hoc etenim Opusculo, de Claudio, ne γρυ quidem; sed de Claudio Caudice loquitur, qui primus conscendere navem Romanis persuasit.

6. SCIO ME LIBERVM FACTVM.

Sic Auctor *Hippoliti* Act. II.

Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.

Ennius in Phoen.

Ea libertas est, qui pectus purum, & firmum gestitat:

nam *virtus*, ait Chrysologus serm. 101. *libertatem probat; metus indicat servitutem: liber enim ad gloriam, servus natus est ad timendum*. Cum igitur sub Tyrannis etiam bonorum civium mens ani-

musque assiduo timore turbetur, nemo pacis libertatisque potitur. Cicero quidem difficillimis temporibus vivens, vix semiliberum se dixit: cum enim priorem ætatem comploraret, de præsenti quereretur, & de futura desperaret: *Quid agam*, inquit, *hic quæris? moror in Tusculano meo semiliber*. Itaque, extincto Claudio, se liberum factum agnoscit Seneca, prioris quidem immemor sententiæ, quam alias protulerat; nempe *Romanam libertatem, per illud ultimum ac fortissimum Catonis vulnus animam amisisse*: immemor insuper se *de brevit. vitæ*, hæc quondam adversus Ciceronem scripsisse: *Semiliberum se dixit Cicero; at mehercules nunquam Sapiens in tam humile nomen procedet, nunquam semiliber erit: integræ semper libertatis, & solidæ, solutus, & sui juris, altior cæteris. Quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est?* Nihilominus, quid de Neronis imperio opinaretur, apertius conjicitur ex Octav. A. II. ubi tragœdiæ Auctor

Melius, inquit, *latebam procul ab invidiæ malis*
Remotus inter Corsici rupes maris,
Ubi liber animus, & sui juris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.

Notum tamen est Claudium ad captandum populi studium percuti jussisse nummum sub specie tituloque LIBERTATIS. AVG. Adi Costantium Landium in vet. Numism. Mediobarbum in Claud. p. 81., & Petrum Bellorium in XII. Cæs. At LIBERTAS, de civitate brevi sublata est, solumque nomen in nummis remansit, quemadmodum ætate nostra apud Bononienses.

7. AVT REGEM AVT FATVVM.

Fatuitatem Claudio exprobravit etiam Nero ap. Svet. 33. Cum enim Μωρὸς, *Fatuum* significet, quoties Claudium *morari* inter homines desiisse ajebat, innuebat desiisse post mortem insanire. V. Plauti Trin. III. 2. Menechm. IV. 2. Mil. II. 4. Exprobravit etiam Julianus Augustus Satyra quæ de Cæsaribus inscribitur. De hac parœmia *Aut regem, aut fatuum*, Erasmus in Chiliad. I. cent. 3. & Manutius in Adag. p. 167. ad nauseam usque differuerunt, sed inanibus, aut saltem nihil ad rem facientibus verbis. Profectò quid veteres ambigua hac sententia innuere voluerint, libenter audirem: Nam, an reges tantum, & fatui felices sunt censendi? Si vera ista propositio, dicendum ergo Senecam, qui neque Rex erat, neque fatuus, viventium omnium infelicissimum; è contrario Claudium,

qui & Rex, & fatuus, singulos ætatis suæ mortales beatitudine superasse: at id neque de Philosopho illo, neque de Cæsare isto affirmari potest. Fromondus interpretatur, *quod regibus dumtaxat, & fatuis omnia dicere liceat*: Verum loquendi libertas non affert felicitatem, immo sæpe, & fatuis, & regibus infortunia parit. Ineptius loquentem Manutium audiamus. *Dictum est*, inquit, *aut fatuum, aut regem nasci oportere, quod hujusmodi fermè fuerint barbari reges apud veteres*. Falsum. Innumeri enim reperiuntur Reges, qui humanitate, ingenio, consilio, prudentia, gravitateque Romanis Impp. permultis longè præstiterunt. Quis quæso Numam, Tarquinium, Cyrum, Philippum, Alexandrum, Pyrrhum, Antiochum M. Jughurtam, Mithridatem, Gelonem, Demetrium Poliorcetem, Jeronem, Ptolemæum Lagum &c. fatuos appellare auderet? Sic viri summi interdum ne fateantur se non omnia scire, absurdissima prodere haud erubescunt. Adde demum vocem hanc, *Fatuus*, ambiguam esse, aliquandoque bene sonare; uti ex Varrone docet Jo. Schefferus *Not. in Petron.* cap. 46. ubi *Omnino*, ait, *Fatui vox honesta fuit; itaque omnes dicti sunt initio* Vates; *nec hi tantum, sed &* Pueri, *qui didicissent fari*.

8. QVOD MIHI IN BVCCAM VENERIT.

Proverbium tritissimum, cui germanum est illud *quidquid in linguam venerit*. Dicitur de iis, qui inconsiderate, ac futiliter loquuntur. Usi sunt his adagiis Cicero *ad Attic.* lib. XII. & XIV. Lucianus *de conscrib. Hist.* Athenæus *Deipnosoph.* lib. V. Isocrates *in Orat. Panathen.*. Quod antiquissima sint, constat ex Platone *de Rep.* lib. VIII., ubi hunc loquendi morem se ex Aeschyli tragœdiis deprompsisse ait. Adi Manutium, Erasmum, aliosque Paroemiographos.

9. IVRATORES.

Hadriani Junii codex habet IVRATO RES, quæ lectio placuit Gronovio affirmanti, vocem istam IVRATOR. ignotam fuisse veteribus; sed falsò, ut plane liquet ex Comici Sarsinatis Poenulo, ubi (Prolog. v. 58.) legitur

Vos juratores estis: quæso operam date.

Plautum floruisse Ennii ætate, ideoque inter priscos latinæ linguæ scriptores recensendum, ignorat nemo: Quà vero elegantià scripserit colligitur ex Quintiliano, apud quem Epius Stolo affirmare non dubitavit, *Musas ipsas Plautino sermone fuisse locuturas, si Latinè*

loqui voluissent. Codici autem Juniano, alii opponuntur optimæ notæ codices: Gronovianæque sententiæ, licet non contemnendæ, Turnebi, Douzæ, Trebellii Constantinii, Lipsii, Lectii, Gruteri, & Fromondi, qui *Juratores* legunt, authoritatem, præponendam censeo. Utitur eadem voce Macrobius Saturn. lib. V. cap. 9. ubi: *invocato loci numine testatum faciebat esse Jurator*; & paucis interjectis: *mox in lacu amittebat vitam falsus Jurator*. Ceterum, Juratores fuisse *Censores*, opinatur Turnebus; *Testes* vero, Lipsius.

10. AB EO

Fuit is Livius Geminius Senator, & Appiæ curator, qui se vidisse Drusillam in coelum ascendentem, ac cum Diis versantem juravit. Ob id, inquit Dio lib. LIX. donatus est decies festerrium. Ita Proculus jamdiù fidem fecerat, Floro, Livioque testibus, visum a se Romulum affirmans augustiore forma quam fuisset, mandare praeterea, ut se pro Numine acciperent: sic Numerius Atticus vir Prætorius se animam cremati Augusti in coelum euntem vidisse juravit. Hadrianus quoque cum inter Deos Antinoum referre excogitaret, se sub sideris specie κλιναδιον suum in coelo collocatum conspexisse testatus est. Similia de Domitiano Cæsare tradit auctor *Chron. Alexad.* p. 593. probantque numi Patiniani. Haud absimili assentatione Conon mathematicus Ptolemæo Evergeti uxoris Berenicis comam in sidus conversam fuisse persuasit. Verumtamen, quamvis mos consecrandi Reges, etiam apud exteros invaluerit, præsertim Aegyptios, Persas, Græcos, Mauros (uti asserunt Tertullian. in Apol. 24., & Lact. *de falsa Relig.* XV.) impudentissimos hos adhibuisse testes diffiteor. Syri quippe, & Smyrnæi, & Athenienses illi, qui Lemnum incolebant, cum in Deorum numerum retulissent Antiochum Soterem, Antiochum II., Seleucum Nicatorem, Berenicem Ptolemæi Lagi, & Stratonicem Antiochi I. uxores, oculatos hos advocasse testes minimè legimus. Freinschemii dubium (in not. ad Flori lib. 1.) an ne illi scilicet testes, cum se defunctorum animas in cœlum euntes vidisse affirmarent, ementirentur, ridiculum omnino mihi videtur.

11. DRUSILLAM

Fuit hæc Soror, & pellex Caji Caligulæ, ac M. Lepidi uxor. Eadem, morte deleta, ab incestuoso fratre Dea est facta, decreta ea omnia, quæ Liviæ Augustæ, itaque tunc *Panthæa* vocata, &

divinis honoribus per omnes urbes culta, ut refert Dio lib. LIX. & ex numifmatis cum Latinis, tum Græcis patet, quæ heic exhibeo.



V. Spanhemium *ad Cæf. Julian.* p. 56. Vaillant *in Num.* Græc. & C. Patinum *in not. in Calig.* Extat demum infcriptio, fic.

VENERI . COELESTI .
AVGVSTAE . SACR.
MVMMIA . C. F. DORCAS
S. P. F. C.

Hanc Lipfius, & Voffius ad Drufillam referunt; ipfe vero Agrippinæ Claudii uxori, quæ Auguftæ titulum honorefque obtinuit, Venufque Coeleftis in numis appellatur, ut in Occonianis cernitur p. 116. Sequens e contra faxum Mufei Capitolini (V. Tom. I. Num. 77.) ad Drufillam Divam factam fpectare, dubitari nequit

⁝ ⁝ ⁝ VAE . DRVSILLAE
SACRVM
⁝ ⁝ ⁝VBELLIVS . C. F. BLANDVS
DIVI . AVG. TR. PL. PR. COS
⁝ ⁝ ⁝ ⁝ ⁝ O . COS PONTIF⁝ ⁝ ⁝ ⁝ ⁝

confirmaturque a ſequenti inſcriptione in qua Druſillam Flaminica decoratam legimus.

: : : : : A. M. F. SECVNDA . ASPRI
: : : : : INICA . DIVAE DRVSILLAE
: : : : : VM . ET . PISCINAM . SOLO . SVO
: : : : : CIPIBVS . SVIS . DEDIT

Extat in Muſeo Taurinenſi. V. Marmora Taurin. P. I. ab eruditiſſimis Rivautella, & Ricolvio illuſtrata, a quibus diſcimus Druſillam Taurini olim templum (utinam in qua urbis regione indicaſſent) habuiſſe.

12. NON PASSIBVS AEQVIS.

Fragmentum Virgiliani verſus Aen. II. ubi de Julo; ſed alio ſenſu

— *ſequiturque Patrem non paſſibus æquis*

Ex iſtis Senecæ verbis patet Cæſarem hunc claudicaſſe. Inferius etiam ſcribit, quod Claudius incederet *dextro trahente pede*. Sic de eodem hæc prodit Svetonius cap. 30. *Cæterum, & ingredientem deſtituebant poplites minus firmi*.

13. APPIAE VIAE CVRATOR

Viarum publicarum *cura*, lege Sempronia inſtituta eſt. Primum Cenſoribus, poſt vero IV viris; tandem, creſcente viarum numero, pluribus Civibus, qui Curatores viarum vocabantur, demandata fuit. Immo cum prius Magiſtratus iſte incertus eſſet, nec niſi ad tempus crearetur, eum noviſſimè ordinarium fecit Auguſtus. Adi Lipſium *in Excerpt.* in lib. III. Taciti Annalium. De Curatoribus aliarum viarum frequens eſt in antiquis lapidibus mentio: de Appia vero, licet, ut ait Statius Silv. lib. II. *omnium viarum Regina*, nulla (quod miror) apud inſcriptionum Collectores Gruterum, Reineſium, Gudium, Donium, Gorium, Maffæjum. Bini vix lapides fide digni inveniuntur. Alter latinè inſcriptus apud Fabrettum, in quo

G. IVLIO ASPRO. COS. PRAETORI.
CVRATORI. VIAE APPIAE. &c.

Alter græcè, Anciræ repertus, qui Gajum Julium ΕΠΙΜΕΛΗΤΗΝ.

ΟΔΟΥ ΑΠΠΙΑΣ nominat. V. Murat. Inscript. p. 332. Illum etenim quem laudat Pratillus in viæ Appiæ descriptione, quique Junium Maternum AVRELIAE APPIAE Curatorem commemorat, farto redolet Ligoriano. Hoc itaque munere functum J. Cæsarem ex Plutarco discimus. Via Appia, de qua nonnulli consultò differuere eruditi, a milliario aureo in foro Romano sito, vel a porta Capena, nunc D. Sebastiani, initium sumebat; ac primum Capuam, postea Beneventum, demum Brundusium usque ducebat, nomenque antiquum, curà liberalitateque PII VI. P. M. restitutum, adhuc retinet. Quod D. Paulinus in Epist. X. ad Severum vocarit *Appiam* viam illam (Antinianam, aut Trajanam propriè dictam) quæ ab urbe Neapolitana ducit Nolam, minimè attendendum: ibi enim, licet soluto sermone scriberet Paulinus, poetica tamen usus est libertate; qua commodius usus esset cum natalem D. Felicis poeticè celebraret: at ibi è contrario recte cecinit

— *confertis longe latet Appia turbis*.

14. AVGVSTVM ET TIBERIVM

Augustum inter Deos relatum tradunt Dio, Svetonius, Tacitus, Plinius in Trajani *Panegir.* confirmantque numi, & lapides: de Tiberii vero consecratione nullum extat monumentum. Immo nunquam consecratum colligitur ex Dionis verbis lib. LIX. *ipsum Tiberium, quem Avum suum appellabat* (Caligula) *& cui a Senatu omnes Augusto tributos honores decerni petierat, quum hi non statim fuissent decreti .... nulla alia re, quam publica sepultura decoravit: noctu ejus corpore in urbem allato, & manè proposito*. Quæ habentur apud Svetonium *in Calig.* 15. Caligulam scilicet cum plurimis lacrymis Tiberium pro concione laudavisse, amplissimèque funerasse, de nunquam Divo facto Tiberio opinionem firmant. Porro heic forte a Seneca in divorum numerum adscriptus est Tiberius, non quod Αποθεωσιν sit unquam rite consecutus; sed quod undecim certarint pari ambitione populi, quanam in civitate ei templa erigerentur, quæ tandem Smirnæ, & in Hispania ulteriore statuta fuere, ut refert Tacitus A. IV. 37. & 56.

15. NEMO CREDIDIT

Non qui piè sanctèque (falsa utique opinione) de Diis sentiebant, eosque ex corde, bonàque fide venerabantur: his enim quis persuadere unquam poterat Superos, fœminam, incesti ream, in cœ-

lum recepisse? Non qui Deos, tanquam falsos, fictosque contemnebant, irridebantque; nam ex istis tum iis, qui Deorum existentiam penitus exibilabant, tum cæteris, qui immortales eos esse inficiabantur, satis innotescebat, immortalitatem, qua nec ipsi fruerentur, Drusillæ largiri Deos nequivisse, licet ei a constupratore Fratre decretam. Verum ad hunc locum magis illustrandum audiendus est Dio lib. LIX. ubi refert alios fuisse accusatos, quod Drusillam non lugerent ὡς ἄνθρωπον; alios quod lugerent ὡς θεὸν: illi nempe, quum esset homo, seu mortalis; hi quum esset Dea.

16. VERBIS CONCEPTIS

Jurare conceptis verbis est jurare juxta formulam a Prætore præscriptam, nempe ad verbum eamdem pronuntiare formulam, quæ prodebatur ab iis qui præjurationes faciebant. Sic apud Gellium N. A. II. 24. legitur *Jurare apud consules verbis conceptis*; & VII. 11. *Tu verbis conceptis juravisti*. Brissonius *de Form.* lib. I. cap. 181. non conceptis, sed *certis* vult legi, nonnullaque adfert exempla, quibus probare conatur, Ciceronem constanter scripsisse *certis verbis*, eo magis quod vox ista sit antiquissima, ideoque sede sua minime pulsanda. At adversus Brissonium animadvertam *jurare conceptis verbis* dictum a Plauto, latinos inter scriptores antiquissimo in *Bacch.* A. IV. 9. quo in loco Chrysalus.

Ego jusjurandum verbis conceptis dedi.

& in *Pseud.* A. I. 3.

Calid. *Juravistin' te illam nulli?*

& in Pseud. Act. I. 3.

Calid. *Juravistin' te illam nullum venditurum nisi mihi?*
Ball. *Fateor.*
Calid. *Nempè conceptis verbis*
Ball. *Etiam consultus.*

immo ab ipso eloquentiæ Patre cum *pro Cluv.* ait: *Africanus ....: clara voce dixit se scire* C. Licinium Sacerdotem *verbis conceptis pejerasse*. Tacitus denique H. IV. 31. habet *jurisjurandi verba concipere*, & ibid. 41. *Senatus, inchoantibus primoribus, jusjurandum concepit*: Petronius demum cap. 113. *Eumolpus juravit verbis conceptissimis*: recenterque Cl. Binetus in *Præf. Anthol. Lat.* Tacitus *conceptissimis verbis Neroni elegantiæ* &c. Ad hæc Budæus: *Est enim concipere ad certam formulam exprimere*; & rursus, *conceptis verbis jurare*, *& conceptum jusjurandum*, *quod certa formula*

delatum est. Hinc Brissonius (cui nemo inficietur penes Latinos sæpe *certis* pro *conceptis* legi) cum recentiores reprehendit quasi vocem, ut ait, sexagenariam de ponte, idest antiqua sua possessione dejecerint, Plautum, Gellium, Tacitum, immo & Ciceronem suum redarguit, a quibus recentiores, voces *conceptis*, *concepta* &c. sumpserunt.

17. IAM PHOEBVS &c.

Videtur his versibus irrisisse Julium Montanum, qui solis ortum, & occasum libentissimè in poematis suis inserebat; de qua re exemplum affert in *Ep.* 122. ubi hæc Montaniana carmina transcribit

Incipit ardentes Phœbus producere flammas
Spargere se rubicunda dies; jam tristis hirundo
Argutis reditura cibis immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore ministrat.
Jam sua pastores stabulis armenta locarunt;
Jam dare sopitis nox nigra silentia terris
Incipit.

Insuper, de eodem loquens, Controv. IV. 28. *Hoc habet*, inquit, *Montanus vitium; sententias suas repetendo corrumpit; dum non est contentus unam rem semel bene dicere, efficit ne bene dixerit.* Eodem vitio, ipsum Senecam, Ovidium, aliosque laborasse, nemini incompertum. At ego quid credam nescio, nisi Senecam Homerico aliquando dormitasse somno; nam Julium hunc Montanum Contr. IV. 16. *Egregium* Poetam vocat; & ad Lucil. loc. cit. *tolerabilem* tantum. Plures, scio, iisdem temporibus floruisse eodem nomine vates, nempe Zotienum, Traulum, Alpinum, Attacinum, Hisponem, Curtium, Montanos omnes: verum cum Montanus, de quo heic sermo, solus fuerit cognomine Julius, Juliusque constanter a Seneca sit appellatus, liquidum est non alium, nisi Julium, tum in Epistolis, tum in Controversiis designare voluisse; eumdem scilicet de quo Donatus in Virgilii vita tradidit solitum dicere *involaturum se quædam Virgilio, si & vocem posset, & os, & hypocrisin; eosdem enim versus, eo pronuntiante, bene sonare; sine illo inarescere, quasi mutos.*

18. CORNVA SOMNI.

Somnum cornu præ manibus habentem pingit Philostratus in Amphiarai imag., e quo super dormientes effundere somnia videatur cornea, h. e. vera: cornu enim attenuatum, inquit Chartarius *in Deor.*

imag. p. 222. pellucidum est. In editione Andr. Scotti pro *cornua*, habetur *tempora*.

19. VINDEMITOR

Vindemiator ap. Columellam lib. III. Ovidius Fast. III. 405. de sidere, nomine *Vindemiator*, sermonem habens

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes
Mergetur, visus effugietque tuus:
At non effugiet vindemitor.

Sic in vetusto Kalendario.

V. NON. MART. ORITVR VINDEMITOR.
IV. NON. MART. BOOTES CITIVS, VINDEMITOR TARDIVS, OCCIDITVR COSMICE

Horatius *Vindemiator* Serm. lib. 1. Sat. 7.

. . . . *urus*
Vindemiator & invictus.

Ludov. Despræus sequentem huic vocabulo notam in suo commentario apponere debuit. *Observa, Lector, vocem istam esse hic quatuor syllabarum, atque in unum coire i & a, ut metri constet ratio.* Trebellius male legerat, *vindemator*.

20. PVTO MAGIS INTELLIGI

Procul dubio: aptius, immo exorsus fuisset, si illud *Ante diem* omisisset, quod tot doctis viris, superius laudatis, crucem fixit.

21. DIES TERTIVS

Cum heic absolute, & perspicue dicat, Claudium obiisse die tertio, magis ac magis autumo, pro *Ante diem*, intelligi debere *Ante lucem* diei tertii idus Octobris. Ut ut res sit, certe Claudius mortuus est XIII. Octobris, cum vixisset annos LXIII. imperasset annos XIII. menses VIII. dies XX.; vel ætatis LXIV. Imperii XIV. quos annos, nondum expletos ex Dione colligimus.

22. QVAM INTER HOROLOGIA

Horologia, horarumque observationes, quæ aliquando Prætoris arbitrio præscribebantur, ignotas Romanis annos dumtaxat CCC., innuit Censorinus de D. N. cap. 23. At Salmasius, & Sallerius, ille

Comm. in *Cenfor. ibid.*, ifte in Differt. cui titulus = Recherches fur l' Horologe des Anciens = Romæ horarum, horologiique nomina, nedum ufum ignota fuiffe volunt annos faltem CCCL. Primus quidem ex latinis horologiorum meminit Plautus in comoedia jamdiu deperdita, cui nomen erat *Boeotia* : ibi Parafitus efuriens (v. Gell. N. A. III. 4.) hæc dicit fatis eleganter.

Ut illum Dî perdant primus qui horas reperit
Quique adeo primus ftatuit hic folarium
Qui mihi comminuit mifero articulatim diem;
Nam, me puero, vetus erat folarium,
Multo omnium iftorum optumum, & veriffimum.
Ubi ifte monebat effe nifi quum nihil erat.
Nunc etiam quod eft, non eft, nifi foli lubet.
Itaque adeo jam oppletum eft oppidum folariis
Magna pars populi aridi reptant fame.

Verum Authoris N. ætate, Clepfydræ, & gnomones frequentiffimi erant, ut videre eft penes Varronem, Ciceronem, & Plinium. Immo imperatore Trajano horaria ex tintinnabulis extitiffe docet ex Luciano, Magius *de Tintinnab.* cap. VI. & Antoninorum temporibus Horologiaria etiam, feu turres horarias, ad inftar noftrarum, conftat ex lapide votivo a Grutero relato p. VI. 6. Quod infuper dicit, facilius conciliari poffe Philofophorum themata quam horologia, fatis oftendit, Authoris ævo, horaria crepera, variaque adeo fuiffe, & inftabilia, ut horarum diurnarum curfus omnino fallax effet atque incertus, quemadmodum Plauti ætate, uti ex allatis verfibus patet. Certè Claudii temporibus publica extitiffe horologia, fatis probat Gruteriana infcriptio CCXXXVII. 6.

IN HONOREM CLAVDI CAESARIS AVGVS·

GERMANICI . SEX . FAETICVS . Q. F. TERTIVS . ET
sic (sic)
C. PATICVS . SEX . PRIMVS . HORILOGIVM

CVM . SEDIBVS . PAGANIS . LAEBACTIBVS

DEDERVNT .

Vide fi vacat Jufti Rycquii comm. de Capitol. cap. 38.

23. INTER SEXTAM, ET SEPTIMAM.
Prima scilicet hora pomeridiana: hora etenim sexta, Romanis erat meridies; septima, prima post meridiem. Notatu dignum duco, aut Svetonium errasse, aut Senecam. Claudius egit animam (inquit N.) inter VI. & VII. Svetonius, lib. VI. 8., asserit Neronem inter VI. & VII. ejusdem diei ad excubitores processisse. At notum est Claudii interitum ab Agrippina fuisse occultatum, donec circa successorem omnia ordinasset. Quomodo igitur potuit Nero eadem hora qua Claudius periit, excubitores adire? nempe, antequam Claudii fatum, & sibi, & excubitoribus innotesceret? Hinc (uti perspicuum est) aut erravit Seneca circa Claudii mortis horam; aut falsum est hujusce Imperatoris mortem latuisse, *donec* &c. Sed præferendus, me judice, Historicus Satyrographo; potissimum, cum Seneca negligentiæ historicæ sit a Lipsio (magno quamvis Senecæ sectatore) insimulatus; cumque de dissimulato ad tempus Claudii interitu, eadem, quæ Svetonius, tradiderint Victor, & Tacitus: ille de Cæs. IV. iste Ann. XII. 67. ideoque Claudii obitum sex saltem horas (non enim minori temporis spatio omnia circa successorem ordinari poterant) occultatum præsumo; itaque si Nero ad excubias transiit inter VI. & VII., hoc est hora sexta, evidens est Claudium expirasse summo mane, ante luciferi ortum: quæ eo libentius adnotavi, quod per hæc mea de Seneciana locutione *Ante diem* firmari ἑρμηνεία videatur. Verum, quid moror? nonnè multorum opinio fuit, Claudium obiisse prope lucem? *Etiam de subsequentibus*, inquit Svetonius lib. V. 44. *diversa fama est. Multi statim hausto veneno obmutuisse ajunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defecisse prope lucem*. Verumtamen quidquid de hoc loquendi more ANTE DIEM, excogitavi, nonnisi titubanter assero; nam cum Taciti narratione pugnare & ego video. *Tunc medio diei* (Ann. XII. 69.) *tertium* (uti legit Gronovius) ANTE DIEM IDUS *Octobris, foribus Palatii repente diductis* &c. quibus cum verbis, mea profecto non cohæret interpretatio.

24. NEC INVENIRE EXITVM POTERAT.
Consentiunt hæc Svetonianis verbis modo allatis, *excruciatumque doloribus tota nocte*. Exitum tamen invenit illico Xenophon Agrippinæ medicus, qui *tamquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur*. Tac. ann. XII. 67.

25. INGENIO EIVS DELECTATVS EST.

Quod sermonis elegantiæ operam dedisset. Svet. 41. Composuit & de Vita sua *octo volumina*, *magis inepté*, *quam ineleganter* : & paulo superius eum neque *infacundum*, neque *indoctum*; immo etiam pertinaciter *liberalibus studiis* deditum prædicat. Tacitus Ann. XIII. 3. *Nec in Claudio*, *quoties meditata dissereret*, *elegantiam requireres*. Hinc Ausonii tetrastichon V.

Claudius irrisus privatæ in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenii.

Haud immeritò igitur ab Hermete sermonis Deo amabatur, de quo Horatius Carm. I. 10.

Mercuri facunde, *nepos Atlantis*
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus.

Profecto Lystrenses cum admirarentur eloquentiam Paulli *qui dux erat verbi*, eum Mercurium è cœlo delapsum crediderunt, quem eloquentiæ Deum, orationisque inventorem habebant. Act. XIV. 11.

26. EDVCIT.

Rhenano, *eduxit*. Gronovio *seducit*: cæteris, *educit*; singuli æque bene, idest *evocavit*. Mercurius enim, *Chthonius* etiam est dictus, seu (ut a plerisque interpretatur) *Infernus*. A Plutarco *Quæst. Græc.* XXIV. vocatur *animarum susceptor*. Pythagoras apud Laertium lib. VIII. cap. 1. docet Mercurium quæstorem, ductoremque animarum esse, & dici, quod puras atque purgatas animas in excelsum ducat. Virgilius denique Aen. IV. 242. de isto Deorum nuntio loquens, ait

Tum virgam capit: *hac animas ille evocat Orco*
Pallentes, *alias sub tristia Tartara mittit*
Dat somnos, *adimitque & lumina morte resignat*.

Cum igitur Deus hic, modo apud Superos, modo apud Inferos versaretur, apud Inferos potestatem etiam habere putabatur.

27. MATHEMATICOS.

Hos pluribus nominibus appellarunt antiqui, videlicet Penethliacos, Astrologos, Babylonios, Chaldæosque. Futura hi ex natalibus prædicere somniabant, ideoque frequenter consultos a Romanis fuisse colligitur ex Svetonio a quo Nigidius, Theogenes, Sulla, Thrasyllus, Scribonius, Babylus, Seleucus, Cata nominantur. Mathematicos om-

nes Italia excedere jussit Tiberius; sed *deprecantibus, ac se artem derelicturos promittentibus, veniam dedit*. Expulit etiam Vitellius; at illi posthabito jam conclamati Imperatoris edicto, aut discedere recusarunt, aut brevi redierunt; nam imperante Domitiano Urbem incoluisse constat ex Svetonio *in Dom.* 15. ubi cujusdam Ascletarionis, a Domitiano primum consulti, exinde interrempti mentio est. Hinc Tacitus H. lib. XVII. *Mathematici*, inquit, *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra, & vetabitur semper, & semper retinebitur*. De istis ab A. Gellio inter æruscatores recensitis, vide sex. Empirici librum *adv. Mathem.* cap. 21. laudatique scriptoris noctes Atticas lib. 1. 9. & XIV. 1.

28. NEMO ENIM ILLVM VNQVAM NATVM PVTAVIT.
Revera ipsa mater, Antonia minor, *portentum eum hominis* acerbè appellitabat, *nec absolutum a natura, sed tantum inchoatum*. Svet. v. 3. Martialis, locum forte hunc Senecæ imitatus, de quodam Diodoro dixit lib. x.

Nemo tamen natum te Diodore putat.

& lib. VIII.

Natum te, Clyte, nec semel putabo.

Eodem fortasse sensu Petronius cap. 58. *Aut tace, aut meliorem noli molestare, qui te natum non putat*. Cum igitur Claudius nunquam natus a Mathematicis putaretur, genituram ejus, seu horoscopum prædicere nequiverant. De genitura Augusti, vide quæ habent Svetonius cap. XCIV. & Manilius Astronom. lib. IV.

29. DEDE NECI.
Versus est Virgilianus Georg. IV. 90. Sic Plautus in Curcul. A. v. 2.

— *ego illum tibi dedam, tace*

& in Amph. A. I. 1.

— *victi utri sint eo prœlio*
Urbem, agrum, aras, focos, seque uti dederent.

Catullus quoque Ep. LXII.

Tu fero juveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris è gremio suæ
Dedis.

ad quem locum Muretus, plus quiddam esse *Dedere*, quam *Dare* advertit. *Damus*, inquit, *etiam recepturi*: *Dedimus*, *quæ volumus*

accipienti propria, *ac perpetua fieri*; quod jam ante docuerat Donatus ap. Trebellium his verbis. DARE, *est quod repetas*: DEDERE, *est ad perpetuum*. Ennius tamen, antiquarum vocum amantissimus, & apud quem verbum *Dare* terdecies occurrit, nullibi illud hoc pacto confectum adoptavit. Hujusce tamen Scriptoris ætate in usum fuisse liquet ex celeberrima illa L. Scipionis inscriptione a Sirmondo, & Aleandro elucidata, in qua *dedet*, *seu dedit* pro *dedicavit*.

DEDET TEMPESTATIBVS AEDEM MERITO.

30. MELIOR &c.

Inane, deploratumque votum. Nam longe aliter, quam Noster sperabat, evenisse, imperatore Nerone, Claudio pejore, compertum est: quod (heu serò nimis!) agnovit & ipse; tunc videlicet quando ab eodem Nerone ad necem compulsus IOVI LIBERATORI *calidam aquam* libare coactus est. V. Tac. Ann. xv. 65.

31. CLOTHO.

Una Parcarum. Dicta Clotho ἀπὸ τȣ κλώθειν, quod *volvere*, seu *nere* significat: quapropter, Noster inferius huic convolvendi fuso humanæ vitæ stamina officium tribuit.

32. CIVITATE DONARET.

Idest *jus Civitatis* daret, quod a *jure Quiritium* differre advertunt I. Consulti; docentque illud ad ea quæ publici sunt juris pertinere; istud, ad ea quæ privati. Discrimen, plane emergit ex Epist. x. Plinii, in qua gratiæ aguntur Trajano, quod *Jus Quiritium* cuidam *Libertæ*, *Civitatem* vero *Romanam*, Jatraliptæ suo, sine mora indulsisset.

33. OMNES GALLOS.

Teste enim Dione quicumque jus Civitatis petebat, Messalinæ opera (at tradita prius magna pecuniarum vi) a Claudio obtinebat. Adi Tacitum Ann. xi. 23. & seq. D. Augustinus tamen, jus Civium omnibus Imperii subditis libenter (omnique interdicto monopolio) concedi debere, in *Op. de* C. D. V. 17., rebatur.

34. PEREGRINOS

Omnes qui Cives non erant, quamvis, vel Latini, vel Italici juris potirentur, Peregrini veteribus Romanis dicebantur. Hinc *Peregri-*

nitas, & in *Peregrinitatem redacti*, vocabantur ii qui ob delictum aliquod jus Civium amiserant. Splendidum virum natione Græcum, quod Latinum sermonem ignoraret, a Claudio albo Judicum erasum, atque in peregrinitatem redactum legimus apud Svetonium in Cl. XVI. Multitudo Peregrinorum tanta fuit aliquando, ut maxima plebis Romanæ pars ex his constaret: quocirca necesse habitum fuit novum creare Magistratum, qui *Prætor Peregrinorum* dictus est, at tandem eos Urbe expellere, uti jubente Tribuno actum est anno v. c. 627. & 688. Cotta, & Torquato Coss., tandemque sub Augusto. Prætoris tamen Peregrinorum munus perduravit saltem usque ad Hadriani ætatem; immo plures uno tempore eodem functos Magistratu liquet ex inscriptione Doniana Cl. III. 13. Templum nunc D. Stephano in Monte Coelio, olim *Jovi Peregrino* dicatum voluit Ficoronius. Lapis etiam extat apud Gudium pag. VII. IOVI PEREGRINO nuncupatus, & ap. Panvinium alii habentur lapides in quibus Coccei Patruini *Principis Peregrinorum* est mentio. Verum in his non de Peregrinis quibuscumque, idest exteris, sed de Militibus quibus Augustus in monte Coelio stativa castra assignavit intelligendum. Quod vero ad Jovis Peregrini templum attinet, errat, ut censeo, Ficoronius; nam Jovis Peregrini ædem extitisse ullam Romæ, nec Historici tradunt, nec ex lapidibus (nisi Ligorianis) eruitur. Extitit utique ædes juxta castra Peregrina, Jovi excitata, & OMNI CVLTV a Domitio Basso DE SVO EXORNATA, sed IOVI REDVCI, non PEREGRINO, uti videre est in inscriptione a Panvinio transcripta.

35. VNVS ERAT AVGVRINI ALTER BABAE

Augurini nomen cognomentum fuit consularis familiæ Minuciæ, uti ex consularibus Fastis colligitur. Babam nominat Seneca etiam in Ep. XV. haud tamen cum Augurino, sed cum quodam Ixione. *Quam tu (Lucili) nunc vitam dici existimas stultam Babæ, & Ixionis*. Libertos fuisse opinor, qui forte, eodem anno, quo Claudius, diem obierunt. Babilum astrologum, imperante Nerone vixisse, testatur Svetonius VI. 36.

36. ABRVPIT

Græcis Parcarum nomina fuere CLOTHO, a verbo κλώθω, idest, ut jam diximus, *neo*, *circumvolvo*. LACHESIS ab eo quod λαγχάνω, *sortior* designat ATROPOS ab *a*, privativa particula, & verbo

ατρεπτω, *verto*. Latinis vero veteribus NONA, DECIMA, & MORTA. At quamvis Mythologi diversum, peculiareque unicuique munus adsignaverint, idem tamen vicissim utrisque atque indiscriminatim Poetæ tribuerunt, quemadmodum observari heic potest, ubi Seneca, licet apud Albricum aliosque officium resecandi humanæ vitæ filum, ad Atropon spectet, eidem Clothoni impertire maluit. Cæterum opinio apud Gentiles admodum invaluit, eos qui violenta morte peribant, diù cum anima certaturos. *Difficilis enim*, inquit Donatus ad Aen. IV. *mors est*, *cum non consensu naturæ spiritus redditur*; idcirco Dii aliquando pietate permoti modo Iridem, modo Mercurium ad Inferos Olympo demittebant, ut Parcæ, eorum jussu, morientis vitæ filum obtruncarent. V. Eurip. *in Alceste*, Virgilium Aen. IV. Macrobium *Saturn.* V. 19. Cum igitur Claudius, excruciatus doloribus nocte tota (*Svet.* 44.) cum anima luctaret, demissus est Mercurius, ut ad ejus nutum Clotho

—— *luctantem animam*, *nexosque resolveret artus*.

37. AT LACHESIS

Lachesis, quæ & *Sors*, ita in his carminibus pingitur, ut Musa potius videatur, quam una ex Parcis. Hæc, & quæ sequuntur cecinit Seneca, forte Neronem ad diligendam colendamque virtutem alliciendi animo: quam frustra, omnib. compertum; hinc bene de eo Sidonius carm. IX. ad Felicem

Incassumque suum monet Neronem.

38. AVREA ...... SECVLA

Aetates, tempora, secula *Aurea* pro *felicia* dixere passim Poetæ. Ovid. Met. I. 89.

Aurea prima sata est ætas.

Horatius Epod. XVI.

Jupiter illa piæ secrevit littora genti
Ut inquinavit ære tempus aureum

Virgilius Aen. VI. de Augusto

—— *divum genus: aurea condet*
Sæcula

& Calpurnius Siculus ad Nemesian. Ecl. I.

Aurea secura cum pace renascitur ætas.

39. TITHONI.

Laomedontis fratrem hunc facit Servius Aen. I. Sed magis attendendi Diodorus, Hyginus, & Izetzes, qui ejusdem filium dicunt, quemque ab Aurora raptum succoque profusum ad summam pervenisse senectutem fabulantur Poetæ, ex quo Græcum proverbium apud Svidam

καταγηράσας τιθωνῷ βαθύτερον. Senescas Tithono profundius.

40. NESTORIS ANNOS.

Nestori Pylio tres Homerus ætates in Odiss. III. attribuit. Nestor ipse apud Ovidium Met. XII.

. . . . *vixi*
Annos bis centum; nunc tertia vivitur ætas.

Ausonius vero quatuor vixisse ætates scribit in Nestoris epitaphio.

Hoc tegor in tumulo quarti jam prodigus ævi
Nestor, consilio clarus, & eloquio.

Dicitur etiam *Hesiodi senecta*, ut notat Gyraldus de Poet. Dial. II. Macrobius Saturn. VII. 10. observat Homerum senes vocasse *πολιοκροτάφους*.

41. MIHI SIMILIS VVLTV.

Imitatur Virgilium, qui jam lib. I. de Aenea suo cecinerat

Os humerosque Deo similis.

idest *similis Deo* secundum *vultum* & *humeros*. Ast hoc in loco, nauseosa assentatio est, eo minus gravi Philosopho *hispidi Platonis* cultori ignoscenda, quod Nero, in pluribus gloriosus, immodicusque sui philocompus, oris tamen speciem nunquam ostentavit. Profecto si quis Capitolini Neronis hermam cum Vaticani Apollinis signo conferret, maledicta in Senecam merito congereret, quod truculentam illius, gladiatoriamque faciem, Phoebæo vultui divinam quamdam spiranti venustatem assimilaverit.

42. NEC CANTV, NEC VOCE MINOR.

Etiam Svetonius sed ironicè, Neronis vocem (quam tamen exiguam, & fuscam fuisse retulerat cap. xx.) coelestem vocavit. Verum de Neroniana canendi insania, audiendus Historicus cap. xx. De voce. *Inter cæteras disciplinas pueritiæ tempore imbutus & musica, statim ut Imperium adeptus est Terpnum citharoedum, vigentem nunc præter alios*, accersiit: *diebusque continuis post coenam*

canenti, in multam noctem assidens, paulatim & ipse meditari exerceriqne coepit: nec eorum quidquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conservandæ vocis caussa, vel augendæ factitarent. De cantu cap. XXI. *Tragoedias quoque cantavit personatus heroum, Deorumque, item heroidum, ac Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui, & foeminæ, prout quamque diligeret.* Hinc, gregariis assentatorum laudibus captus, nomen suum in albo profitentium Citharoedorum jussit adscribi, statuas suas, citharoedico ornatas habitu, voluit, nummosque percussit, in quibus se citharam manibus gestantem præbuit, uti videre est in Patinianis numismatis Not. in Ner. p. 48.





At utinam his Romanorum assentationibus contentus fuisset! Britannicum fortasse haud necasset, quem *non minus*, inquit Svetonius cap. 33. *æmulatione vocis, quæ illi jucundior suppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est*. Verumtamen Apollo, verbis, a Senecianis longe diversis, loquitur apud Julianum *in Cæsarib.* ubi de Diis ad Romuli convivium invitatis sermonem habet hoc pacto. *Loquente adhuc Sileno supervenit Nero citharam gestiens, & lauro redimitus. At Silenus in Apollinem oculos detorquens: hic, inquit, ad tui imitationem se comparat. Cui Rex Apollo. Ego quidem, ait, huic quamprimum coronam eripiam. Nec enim me in omnibus est æmulatus; atque adeo in quibus me imitari voluerit, valde perversus mei extitit imitator*. Eadem prorsus, & ut opinor ex Juliani Satyrico deprompta, refert Themistius Orat. XIX.

43. MVLTOS ANNOS DE SVO DONAT.

Septemdecim annos natus erat Nero cum Imperator est consalutatus: regnavit annos quindecim, obiitque ætatis trigesimo secundo nondum expleto. Ergo aut paucos Lachesis donavit Neroni annos, aut facti pœnitens, donum revocavit. Ut ut res sit laudabilius ademisset aliquos: tunc enim Præceptoris sui dies, ingratissimus ille Alumnus forte non breviavisset.

44. Χαίροντας &c.

Domo lætantes faustaque acclamantes efferre. Barnesius, Steblinus, & Fromondus verba hæc Euripidi assignant; citantque tragœdiam Ctesiphontis quæ nunquam (ne in deperditis quidem) extitit, pro Cresphonte de qua perbreve fragmentum superest, sensum comprehendens, longe ab illo diversum. Rectius laudassent Tusculanarum librum I. 48. ubi Cicero quædam Euripidis carmina, Senecæ dicterio Analoga sic vertit.

Nam nos decebat coetus celebrantes domum
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala:
Atqui labores morte finisset graves,
Hunc omnes amicos laude, & lætitia exequi.

45. ANIMAM EBVLLIT.

Puto legendum *ebulliit*; dictum a bullis, ut ait Nonnius, quas emittit aqua dum fervet. *Animam ebullire* dixit & Petronius cap. 42. *Jam bonus Chryanthus animam ebullit*; & cap. 62. *pene animam ebullivi*. Apulejus vero maluit *ſpiritum rebullire*; nam Met. lib. 1. *Quum ille*, inquit, *impetu teli præſecata gula, vocem, immo ſtridorem incertum per vulnus effunderet, & ſpiritum rebulliret*.

46. DVM COMOEDOS AVDIT.

Agrippinæ artificium. Hæc enim cum Claudii mortem celare ſtatuiſſet, *induxit*, teſte Svet. 44. *per ſimulationem Comoedos qui velut deſiderantem oblectarent*.

47. SONITVM.

Crepitum. *Dicitur etiam meditatus edictum*, (Svet. in Cl. 44.) *quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi*. Quod, etſi ridiculum, minus quidem improbum foret ſuperſtitione Aegyptiorum, qui teſte Clem. P. Recognit. lib. v. ventris crepitus pro numinibus habendos eſſe docuerunt. Id ipſum a Minutio Felice in Octav. (ni fallor) confirmatur his verbis: *Aegyptii non Serapidem magis quam Crepitus per pudenda corporis emiſſos, extremiſcunt*. Eadem tandem tradunt Divi Hieronymus, & Cæſarius; ille in Iſ. XIII. 46. ubi, *taceam de crepitu ventris inflati, quæ Peluſiaca religio eſt*: hic *in dial.* d. 1. *niſi forte de Ethnicis Aegyptiis loquamur, qui flatus ventris, non ſine furore quodam inter Deos retulerunt*. V. Voſſium *de Idololatr.* cap. XI. & Claudium Terrinum ap. Sallengrium» Continuation des Mem. de litterat. vol. 1. p. 1.» Adi etiam Muſ. Coſpianum, in quo hujuſce Deaſtri figuram invenies: adi & Petronium, qui de putido hoc argumento prolixè diſſerit cap. 47., & Laelium Biſciolam, qui de duplici crepitu, ſonoro, & cæco, ſeu ſilenti, permulta peſſimè olentia, in ſuis horis ſubſeciv. lib. 11. cap. 18. congeſſit. At quoniam Petronium nominavimus, notatu dignum cenſeo Auctorem hunc Trimalchioni, ſuo eamdem ventris Ἀνεξυμίαση tribuiſſe, quam Claudio Seneca. Trimalchio igitur cap. 47. hæc profert. *Ignoſcite mihi; multis jam diebus venter mihi non reſpondit .... Nemo ſolidè natus eſt. Ego nullum puto tam magnum tormentum, quam continere. Hoc ſolum vetare ne Jovis poteſt..... Nec tamen in triclinio ullum vetui facere*

quod se juvet .... Multos scio sic periisse, dum nolunt sibi verum dicere. Quæ verba, aliaque permulta quæ in satyra Petroniana leguntur, ita conveniunt Claudio, ut Burmannus secundus aliique doctissimi viri sint opinati, Petronium satyram de qua loquimur, non in odium Neronis, sed in Claudii contemptum conscripsisse. Sane Burmannus sententiam suam tot argumentis, tantaque eruditione fulcivit, ut eam haud amplecti vix possit. V. si vacat Præf. ad Petronii satyricon, editionis Burmannianæ 1743. p. 6. 7. Qui denum ludricis argumentis delectantur, perlegant Eman. Martinii lepidissimam eruditissimamque orationem *Pro crepitu ventris*, recusam ad calcem Tom. II. epistolarum ejusdem p. 260.

48. CONCACAVI ME.

Evenit Claudio morienti, quod evenisse fertur Constantino vix nato, eaque de causa *Copronymo* dicto. Verumtamen non se concacavisse Claudium (uti per jocum, & ridiculi gratia scribit Seneca) sed sumpto veneno ob cibi affluentiam, omnia evomuisse, Svetonius refert. Eodem ad captandum risum putido sermone usi sunt, & alii. Apulejus A. A. IV. *Canes ..... me confecissent, nisi dolore plagarum alvus arctata, crudisque oleribus abundans, & lubrico fluxu saucia, fimo fistulatim excusso, quosdam extremi liquoris aspergine, alios putore nidoris fœtidi, a meis jam quassis scapulis abegissem*. Phœdrus IV. 17. de Canum legatis ad Jovem missis.

.... vultum magni ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt Regiam.

Sic Bertrandus a Costa in latino-gallico cujusdam pseudo-Mathematici epitaphio ap. Freitag. *Appar. litter.* T. II. 224.

Cy gist le bon CA VI CAVI.
Qui dicit Pater peccavi
Le bien d'autruy *furavi*
En mes brayettes CACAVI.

Apud Ducangium *concagare* cum G: gallicè *conchier*, ut in Romanensi de Vulpe fabula apud eumdem.

» Renard se pense qu' il ferà
» Et comment le conchierà.

Vox tamen ista fortè antiquitus non adeo turpis fuit, ut hodie, cum eâ vocarentur circitores, quos etiam *cacabarios* appellabant, ut monet Jo. Lamius de erud. Apostol. cap. 47. Notandum, post illa *omnia certe concacavit*, in editione Romana M. Ant. Mureti 1595.

hæc legi, quæ in aliis editionibus desiderantur; nempè: *nec post boletum opiparè medicamentis conditum, plus cibi sumpsit*. Ita Juvenalis Sat. v.

Boletus Domino, sed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.

& Martialis lib. I.

Quid dignum tanto tibi ventre gulaque precator?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

49. SCITIS ENIM OPTIME.

Nos vero omnia quæ de Claudio noscimus, historicis Senecæ posterioribus, præsertim Tacito licet mutilo, Svetonio, Dionique debemus, quorum librorum subsidio, Senecianam Satyram, nobis aliter arcanam, facilius nunc interpretamur.

50. NVNCIATVR IOVI VENISSE.

Cum eos, qui in Carcere necabantur magnis uncis in Forum carnifices, ac inde in profluentem protraherent, Gallio, Senecæ nostri frater, *unco* Claudium in coelum raptum dixit. Dio lib. LX.

51. BONAE STATVRAE.

Svet. XXIX. *Auctoritas* (Claudii) dignitasque formæ non defuit, vel stanti, vel sedenti, ac præcipue quiescenti. Nam & prolixo nec exili corpore erat.

52. BENE CANVM.

Ibid., *& specie canitieque pulcra, opimis cervicibus*.

53. CAPVT MOVERE.

Confirmat Svetonius loc. cit. *Caput cum semper, tum in quantulocumque actu, vel maxime tremulum*. Ita Juvenalis Sat. VI.

.... *Minus ergo nocens erit Agrippinæ*
Boletus: si quidem unius præcordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere jussit
In cœlum, & longa manantia labra saliva.

His stantibus, quæ in Claudiano vultu inesset auctoritas atque dignitas, haud assequor; eo minus si, laudato satyrico teste, ex ejusdem labris saliva stillabat.

54. PEDEM DEXTRVM TRAHERE.

Jam, *non passibus æquis* dixerat V. not. XII.

55. VOCE CONFVSA.

Claudianæ linguæ titubantiam memorat Svetonius: quod profecto concordari nequit cum his, quæ ab Augusto, teste eodem Historico, Liviæ suæ, scribebantur. *Tiberium* (Claudium) *nepotem tuum placere mihi declamantem potuisse, peream, nisi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, possit, cum declamat σαφῶς dicere quæ dicenda sunt, non video*. Si enim Claudius balbutiisset, quomodo, cum declamaret, placuisset Augusto? Sane Oratores balbutientes egregia licet proferant verba, nemini unquam placuerunt.

56. NEC GRAECVM ESSE NEC ROMANVM.

Quæ habet heic Seneca, cum Svetonii narratione omnino pugnant. Hic enim affirmat, octo *de vita sua* Claudium scripsisse volumina, *ineptè* quidem, at non *ineleganter:* item Ciceronis *defensionem adversus Asinii Galli libros, satis eruditam*. Hæc de Claudio latinè scribente: de eodem Græcè loquente, sic. *Nec minore cura Græca studia secutus est, amorem, præstantiamque linguæ occasione omni professus*, & paullo post: *sæpe in Senatu legatis perpetua oratione respondit*. Demum: *Græcas scripsit historias: Tyrrhenicon* XX. *Carchedoniacon* VIII. Fortasse Auctor noster, Claudium irridet, quod novas commentus sit litteras tres, easque in veterem sermonem, quasi necessarias, intruserit; potissimum Aeolicum διγαμμα, quale ea ætate in plebiscitis, nostrâ vero in quibusdam lapidibus visitur. At Claudianum inventum eo minus irridendum, quod jam olim Romani, teste Athenæo lib. x., plura verba, & vocabula, vocisque sonum ex Aeolica dialecto mutuaverint. Revera Claudianæ litteræ additionem, Varronis, & Quintiliani assensum promeruisse constat ex illius *de L. L.*, istiusque *Inst. Or.* libris. V. Lipsii, & Ursini notas in Taciti Ann. XI. 14. in quibus uterque de tribus litteris a Cæsare illo excogitatis perquam disertè. V. etiam Gellii N.A. lib. XIV. cap. 15.

57. NOVI GENERIS FACIEM.

Ex supradictis ab ipso satyrico, nihil novi Claudii ora prætulisse colligitur: bonam enim staturam, canitiem pulcram, cervices opimas, permulti habent: ergo Claudii præsentia, nec novi generis erat, nec

ullo modo timorem Herculi, tot monstrorum domitori iucutere poterat.

58. DECIMVM TERTIVM LABOREM.

Herculis labores (propter quos, & in lapidibus data sunt ei CELERIS, DEFENSORIS, INVICTI, POLLENTIS, POTENTIS, VICTORIS, TRIVMPHALIS, cognomina) innumeri fuere, ut videre est apud Mythologos: heic duodecim illos tantum Auctor indicat, quos Euristheus, hortante Junone, fortissimo viro injunxerat. Singulos ab Ausonio *Edyll.* 19. metricè enumeratos accipe

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.
Proxima Lernæam ferro, & face contudit Hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit Aprum.
Aeripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliavit Amazona baltheo.
Septima in Augeis stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Undecimo mala Hesperidum destricta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Verumtamen si Ovidio credimus non hæc fuit suprema ærumnarum meta; sed illa quam Herculi exprobrabat Dejanira: videlicet, quod una nocte quinquaginta virgines imminuisset. Eadem (Ausonia scilicet Herculearum expeditionum enumeratio) sed ordine diverso habetur in tabulæ Farnesianæ fragmento, apud Sponium, Donium, Muratorium, aliosque, cui titulus ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΠΡΞΕΙΣ: eamdem denique extat in Anth. Lat. lib. I. 42. Claudium autem *mansuefacere*, decimum tertium fore Herculis stipendium Seneca heic fingit: in Hercule vero furente Act. v. tertiumdecimum est VINCERE SE IPSVM, nam dicit

Succumbe virtus, perfer imperium patris:
Eat ad labores hic quoque Herculeus labor.

Longe ab hac diversam Owenus (cui subscribo) opinionem tulit lib. I. Epigr. 117. ubi

Conjugis ingentes animos, linguamque domare,
Herculis est decimus tertius iste labor.

59. τις πόθεν &c.

Ex Odyss. I. 189. Odyss. I.

τις πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πτόλις.

verba sunt Telemachi cum Minerva colloquentis, sic a v. c. Bern. Zamagna latinitate donata.

Quis? genus unde tibi? quænam urbs tua? quique parentes?

60. PHILOLOGOS

Multiplici variaque doctrina pollentes, Eratosthenses, ut refert Svetonius *de ill. Gramm.* 10. primus hoc sibi nomen vindicavit; deinde Arrejus, quem Capiro Attejus JC. inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait. Ad hunc fortasse spectat sepulcralis ille lapis quem legi in Anth. lat. IV. 335.

ATTEIVS PHILOLOGVS
DISCIPVLVS

61. FVTVRVM ALIQVEM HISTORIIS SVIS LOCVM

De historiis a Claudio conscriptis jam dictum est in Not. LIII. Quam vero Homeri carmina in precio habuerit, eruitur ex Svetonio asserente cap. 42. *Eum multum pro tribunali etiam Homericis versibus fuisse locutum.* Ideoque Claudii quoque imaginem Bovillis in familiæ Juliæ sacrario, una cum anaglypho, Homericam apotheosim repræsentante, Neronem collocasse, credibile mihi, quemadmodum & eruditissimo Fogginio V. Mus. Capitol. tom. IV. p. 365. videretur, nisi magis placeret Kircherii sententia, qui Homericum hoc monumenrum (quod hisce diebus Romæ, in Columnensium Principum ædibus adservatur) ab ipso Claudio dedicatum affirmat, in V. L. p. II. cap. 7.

62. Ἰλιόθεν.

Versus est Homericus Odyss. IX. 39. sic ab A. Gellio lib. I. 2. latinitate donatus

Ad Ciconas Troja referens me ventus adegit.

Lectius

Ab Ilio me ferens ventus Ciconibus appulit.

Anonymus vero Gallus suum ad arbitrium vertit

» Mes Ayeux ont jadis regnè dans Ilion »

At totum Homeri locum a fideliore interprete (a laudato scilicet Zamagna) sic redditum accipe

Principio Ciconum vexit me ventus ad alta
Ismara, ubi ferro gentem populatus, & urbes
Ingentem prædam sociis captivaque matrum
Corpora divisi.

Constat ex Svetonio 25. Claudium stirpis suæ originem ad Julum Aeneæ F retulisse, quapropter Iliensibus, *quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit* regique Seleuco amicitiam pollicitus est *Si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset*. V. & Tacit. A. XII. 58.

63. Εὖθα δ'ἔτον &c.

V. not. sup.

64. FEBRIS

Cicero de N. D. lib. III. *Tantus*, inquit, *error fuit, ut perniciosis etiam rebus* (Timori nempe, Pavori, Pallori, malæ Fortunæ) *non modo nomen Deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur.... Omnis igitur talis a Philosophia tollatur error, ut cum de Diis immortalibus disputemus, dicamus digna Diis immortalibus.* Lucianus in *Philopseude* hæc habet. *Multi ante pedes ejus* (Esculapii ni fallor) *oboli jacebant, ac alia quoque numismata argentea, cera ejus cruri affixa, laminæque ex argento, vota alicujus, aut merces restitutæ sanitati eorum quos ille Febre liberarat.*

65. FANO SVO RELICTO.

Febri fanum in Palatio consecratum affirmat Cicero loc. sup. cit. At Val. Maximus lib. II. 5. tria a Romanis, non Fana, sed Templa Febri extructa, refert: unum in palatio, alterum in Area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte vici Longi. Divæ equidem decoratam titulo reperimus in lapidibus Ostrohinis a Stephano Zamoscio Transilvano collectis in *Analect. Daciæ Antiquit.* cap. VIII.

FEBRI . DIVAE . FEBRI
SANCTAE . FEBRI . MAGNAE
CAMILLA . AMATA . PRO
FILIO . MALE . AFFECTO . P.

Vilissimæ hujus Divæ meminit etiam Minucius Felix *Octav.* cap. XXV. 8. *Mox a nescio quo Febris dedicata.*

66. RELICTO

Numquid Ethnici censebant eorum Numina verè templa inhabitasse, præsentiaque fuisse supplicibus? Sane, hanc viguisse apud Idolorum cultores Theologiam, patet ex hoc, quod Febri, ut in coelo esset, necesse fuit terram relinquere, & ex sequentibus cæteros omnes Deos Romæ reliquerat. Extant quoque lapides in quibus legimus DIIS PRAESENTIBVS Grut. XXXVII. II. NVMINI PRAESENTI. Don. I. 10. DEIS ADHAERENTIBVS. ibid. 129. Diis PROXVMIS ap. Sponium *Ignot. Deor. aræ* N. 23., & in numis Antiochi IV. ap. Vaillant *Seleucid.* p. 105. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ sic in Bacchidibus Plautinis Act. II. Sc. I. Chrysalus Apollinem PROPINQVVM, & VICINVM. Salutat. *Hos Ethnicarum nationum*, inquit cl. Gorius *Not. in Don. Inscript.* T. I. Cl. I. p. 45. *minutos Deos indigitatos fuisse arbitror a Moyse illis verbis ad Hebræum populum, dum veri summique Dei maxima beneficia commemoraret* Deut. IV. 7. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes* (θεὸν ἐγγίζων, ut apud LXX.) *sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*.

67. CVM IPSO TOT ANNOS VIXI

Gallus interpres *Moi, qui ne l'ai pas quitté un moment depuis qu'il est au monde*. Hæc non dicit Febris. Sed, *tot annis*; quod analogum est Svetonii verbis: *valitudine sic olim gravi, ita Princeps* PERPROSPERA *usus est*; quæ mehercule amphemerina febri laborantem non designant.

68. LVGDVNI NATVS EST.

Ex Druso, & Antonia minore, qui cum in Germaniam proficiscerentur, apud Lugdunum aliquot dies commorati sunt. Nascitur eo ipso die, quo Lugdunenses aram ad confluentes Araris, & Rhodani excitatam, Augusto dedicarunt, nempe Kal. Augustis, IVLIO ANTONIO, & FABIO AFRICANO Coss. Claudiani palatii rudera adhuc visuntur, teste Sponio, ubi nunc » Fourviere » *Forum vetus*, vel *Forum Veneris*.

69. MARCI.

Procul dubio de Munatio Planco Consule, Censore, Imperatore, Septemviroque epulonum heic sermo est. Verum circa prænomen errare Senecam puto. Certè ex marmore Cajetano a Sponio *in*

Antiquit. Lugdun. cap. I. transcripto, Munatium Plancum (qui in GALLIAM COLONIAS DEDVXIT LVGDVNVM, ET RAVRICAM) Lucii pronomen tulisse liquet. Quapropter Gronovius, suppresso prænomine, & nomine legit *Planci municipem*. Hac equidem methodo omnes facile tolluntur ambiguitates.

70. MVNICIPEM.

Municipes erant qui in civitatem Romanam recepti, munerum participes fiebant. Animadvertendum tamen Lugdunum Coloniam Romanorum fuisse, non Municipium.

71. GALLVS GERMANVS

Omnino Gallus; vere Gallus.

72. ROMAM COEPIT

Ideft Romanum Imperium usurpavit; quod falsum omnino est, uti plane constat ex Svetonio sic loquente. *Rumore cædis* (Caligulæ) *exterritus, prorepsit ad solarium proximum; interque prætenta foribus vela se abdidit: latentem discurrens fortè gregarius Miles, animadversis pedibus, e studio sciscitanti, quisnam esset agnovit, extractumque, & præ metu ad genua sibi accedentem, Imperatorem salutavit*. Jocosa igitur hæc est verborum æquivocatio: (italicè » freddura ») Romam enim à Gallis Ann. v. 364. captam, sciunt omnes.

73. LICINIVS.

Quem commemorat in Epist. 119. *ad Lucill.* Juvenalis Sat. I.

. . . . . . *ego possideo plus*
Pallante, & Licinis.

Nominatur etiam a Macrobio Sat. lib. II. 4. atque a Sidonio lib. v. Ep. 7. Persius Sat. II. non de Licinio Stolone, sed de isto.

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Hunc Claudii libertum dicit Savaro *Not. in Sidonium* loc. *cit.* quod tamen ex Claudii vitæ scriptoribus haud constat: fuit utique libertus, sed Julii Cæsaris, & Augusti.

74. REGNAVIT.

Tyrannice se gessit. Dio lib. LIV. *Licinius Gallus . . . ab Augusto Galliæ Procurator factus est . . . Galli Augustum nacti graves adversus eum detulere querelas, maximè quod eos depauperaret avaritia*

barbarica. *At is cum videret Augustum sibi infensum in aedes eum suas adduxit, multisque argenti, & auri, thesauris ei demonstratis: Haec, inquit, Domine, data opera tua, ac Romanorum caussa collegi, ne indigenae, tanta vi pecuniae instructi, deficerent; itaque omnia, & conservavi tibi, & tibi do. Ita, quasi vires Gallorum in Augusti gratiam enervasset, discrimen evasit*.

75. PERPETVARIVS.

Haec dictio, docente Budaeo *tit. de loc. praed.*, conductorem, & colonum significat, qui perpetuo rem conducit; qui videlicet sine intermissione labori est intentus; hinc *fundus perpetuarius*; Quintiliano lib. II. 14. *Perpetualis*. Gronovius ad hunc locum: *Mulio perpetuarius non est, qui veterinam mulam, perpetuo quoad vixerit, conductam habet, ut Alciatus, Fromondus, caeteri, sed qui ad magna, & longinqua itinera non ad paucas proximas mansiones, seque & mulas praebet*: quod profecto ab Alciati, & Fromondi definitione parum (fortasse nihil) differt.

76. LVGDVNENSES SCIRE DEBES.

Lugdunum a L. Munatio Planco conditum A. V. 711. Herculi innotescere minimè poterat. Quod tamen Sponius in *antiquit. Lugdun.* cap. I. opinatur, Senecam videlicet crasso hoc anachronismo Claudii stupiditatem magis, magisque aperire voluisse, falsum omnino: verba enim, *Tu qui plura loca calcasti* &c. non in Claudii ore ponit, sed Febris.

77. XANTHVM ET RHODANVM.

Illud Phrygiae flumen, istud Galliae.

78. MVRMVRE.

Murmur est lenis strepitus; idcirco hac voce non aptè homo ira excandescens indicatur, eo magis si illa de Claudio, Svetonii verba attendantur: *ira turpior; spumante rictu, humentibus naribus*. Me tamen haud latet Ovidium Epist. XII. dixisse *vastum* murmur, & Met. XII. *altum*: Statium Theb. X. *fragosum*: Quintilianum lib. II. *ingens*: Lucretium lib. VI. *minax*.

79. OMNES ILLIUS ESSE LIBERTOS.

Argutissimum mihi hoc convitium videtur: notum est enim Posidem, Callistum, Nestorem, Halotum, Felicem, Harpocratem, Polybium, Narcissum, & Pallantem Claudii libertos, adeo eo vivente rerum omnium, auctoritatisque esse potitos, ut ipsiusmet Imperatoris jussa posthaberent. His addendi liberti illi quorum elenchus repertus est in ruinis veteris Antii, triregnante Innocentio XII.

80. MURES FERRUM RODUNT.

Proverbialis dicendi modus mihi obscurus, atque ut opinor etiam aliis. *Rodere il chiavistello* paroemia est Florentinorum, apud quos significat *multum irasci, sed frustra*. Verum, pro *irasci* heic accipi nequit. Forte hoc dicterio innuit Author in cælestibus sedibus mures ipsi, quamvis animalium omnium timidiores, vires habere potestatemque nocendi, ideoque timendos. Si res tamen ad naturalem historiam referatur, nulla, in hoc quod ab Authore figuratè dicitur, invenietur hyperbole; nam si Stephano Bizantino, & Antigono credimus, prope Carystiam, & Andriam insula est, Gyarus dicta, in qua mures ferrum exedunt, quod Plinius confirmat lib. VIII. Chalcidenses quoque a muribus ferrum vorantibus patria sede pulsos tradit Heraclides in Polit. v. Petr. Zorn. Bibl. exeg. tom. I. pag. 8. Neque novum in Cœlo Mures inveniri, cum jamdiu ante Senecam animalia hæc a Musoritis seu a Philistinorum principib. ibi collocati fuerint, & ut Dii culti. V. I. Reg. VI. Philastr. Brix. de Hæresibus cap. XII. Petr. Annat. lib. VII. Dempster. Etrur. Reg. tom. II. lib. IV. cap. 29.

81. ALOGIAS.

Fatuos sermones. Sic Petronius cap. 58. *Non didici geometrias, critica, alogias, nænias*. In historia Ecclesiastica mentio fit quorumdam Hæreticorum, qui *Alogi*, seu *Allogi* vocabantur; idest *sine verbo*. V. doctissimos Petronianæ Satyræ illustratores, Menteljium, Schefferum, Heinsium, Burmannum.

82. CLUAS.

Fulges. De verbi *Clueo* etimologia, & significatione, eruditissimè disseruit Jacobus Spiegelius. *Annot.* in Prudentii Cathemer. hymn. X. ubi asserit, Romanos Venerem armatam sub *Cluacinæ* nomine, (a *Cloacina* quidem omnino diversam) coluisse.

83. HAEC CLAVA.

Herculis clavam, cujus olfactu canes fugiebant, in aditu ejusdem Numinis templi extitisse tradunt Livius, Plinius, Victor.

84. REGES.

Ex quibus Busiridem Aegypti, Geryonem tricorporem Hispaniæ; Antæum Luxi, Pirechmum Eubææ, Neleum Pyli, Augæam Elidis, Eurytumque Oechaliæ tyrannos: hos omnes Hercules interemit. Quæ sequuntur carmina, Herculeos labores complectuntur.

85. μωρῦ πληγῶ.

Ictum insani illius hominis timet; eo quod semper stulti sint ad manus conferendas parati; unde paroemia, *Stulto ne permittas digitum*.

86. GALLVM IN SVO STERQVILINIO PLVRIMVM POSSE.

Allegoricè: quemque scilicet in suo regno potentiorem animosioremque esse; in alieno timidiorem.

* TIBI . . . . IVS DICEBAM.

Novus mihi loquendi modus: nunquam enim audivi, jus Diis reddi, sed hominibus. Forte *Tibi*, pro *in honorem tui*, vel *sub tua tutela*, vel *te consulente*.

87. ANTE TEMPLVM TVVM.

Magnifica templa præter Aras, Porticus, Pontes, ac signa Hercules habuit, quædam intra Urbem, quædam extra; viis nempe Salaria, Appia, Latina, & Ostiense. Sacras vero *Aedes* augustiores eas recensent Antiquarii, quas M. Fulvius Nobilior in circo Flaminio Herculi Musageti, L. Cornelius Sulla juxta eumdem Circum Herculi Custodi, seu Magno: Herculi demum Victori (qui nescio) ad portam Trigeminam, & in Foro Boario condiderunt. Templum autem, ad cujus fores jus a Claudio dicebatur, extabat haud longe a S. Maria in Cosmedin (seu τωμ ἀπνεμἀτωμ) vocabantque *Herculis* templum *in Ara Maxima*, de qua Virgilius, Ovidius, Propertius: ad hanc Aram jusjurandum fiebat, & firmabantur pacta, atque, in eadem decimæ de facultatibus offerebantur.

88. IVLIO, ET AVGVSTO.

Hoc est etiam Julio, & Augusto, quamvis his mensibus judiciariæ res, & lites cessarent. De mense Julio, Plinius lib. VIII. Ep. 21. *Julio mense, quo maximè lites interquiescunt*. Duplices autem feriæ erant, messis, & vindemiarum, ut ex l. 1. ff. *de Feriis* apparet. Statius lib. IV. ad Marcellum.

Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges;
Et pacem piger annus habet, messésque reversæ
Dimisere Forum: nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes:
Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Claudii, in jure reddendo assiduitatem, testatur his verbis Svetonius. *Jus, & Consul, & extra honorem laboriosissimè dixit, etiam suis, suorumque diebus solemnibus*. Confirmat Dio lib. LX. *Quotidie propemodum vel cum universo Senatu, vel solus ipse plerumque in Foro, quandoque alibi, pro tribunali de causis cognoscebat*. Ideoque hæc quidem assiduitas iniquè a Seneca in Claudii contumeliam vertitur. Sanè nemo non laudat Israelitarum Reges, quod ad portas urbium, jus introeuntibus reddendi caussa, haud levi molestia, atque discrimine, assiderent, uti ex pluribus S. Scripturæ locis colligitur. V. Philostr. vit. Apollon. lib. 1. & Orvill. animad. in Charit. Aphrod. lib. V. cap. 4. p. 453.

89. QVANTVM ILLIC MISERIARVM PERTVLERIM, CVM CAVSIDICOS AVDIREM.

Illustrant hunc locum Svetonii verba Cap. XV. *Illud quoque a majoribus natu audiebam, adeo Causidicos patientia ejus solitos abuti, ut descendentem è tribunali non solum voce revocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso detinerent*.

90. CAVSIDICOS.

Male, ut liquet, de Causidicis sentiebat Seneca. Pessimè Sarisberiensis, qui lib. V. cap. 10. *de Nug. Curial.* hæc profert. *Causidicorum si quidem est lingua damnifica, nisi eam, ut dici solet, funibus argenteis vincias. Nec unum, nisi forte potentissimus sit, proficit illaqueare muneribus, quia in quo unius tibi conciliatur gratia, aliorum invidia concitatur. Sibi namque præceptum arbitrantur, quod aliis erogatur. Hoc autem a maximis pertransit ad minimos, qui nisi mulceantur obsequiis, & reficiantur muneribus sibi*

fieri injuriam suspicantur. Causidicorum denique versutiam, meritò detestatur Wilhelmus Possardus *de Magistr. Athen.* cap. IV. 14. ubi eos *Pestem* appellat. *Hac*, inquit, *peste etsi careant hodie curiæ nostræ, tamen longe crudelius monstrum domi alunt Causidici quidam, opiniones doctorum opinionibus addendo, diversasque juris scripti in æqui, bonique eversionem allegando, & si nihil aliud, Curiam, ipsam occupando, ne adversarii causam intelligat.*

91. CLOACAS AVGIAE PVRGARE

Dum Claudium ludit, Herculem mordet; cui priusquam in Coelitum numerum adscriberetur, repurgandi bubile Augiæ regis Elidis, cura demandata fuit. Tangit fortasse & quosdam, qui ex stabuli fimo ad supremos Regni honores pervenere; cujus phenomeni, ut ita dicam, haud desunt recentissimis nedum vetustis temporibus exempla.

92. PLVS EGO STERCORIS EXHAVSI

Stercoratum unquam fuisse Claudium non legi apud historicos; sed aliquando conviciis, & simul fragminibus panis a turba medio Foro infestatum, ita ut *ægrè nec nisi postico evadere in Palatium valuerit*, scribit Svetonius cap. 18.; quod tamen evenisse Vitellio, cujus vultum *multi cœno, fimo, & cæteris turpioribus dictu, purgamentis incesserunt*, refert Aur. Victor in Epit. XVI. Vespasiano, in quem *Adrumentina seditione quadam, rapa jacta sunt* teste Svetonio: Theodosio licet optimo Principi, quem plebs lapidibus infectatus est, narrat Marcellinus Comes *Indict.* XIV.

93. SED QVONIAM VOLO

Nonnulla heic procul dubio desiderantur: quapropter minus integrum ad nos hoc pervenisse Opusculum, cum Tristano contra Reymarmm, opinor. V. Reym. not. in Dionis lib. IX. Nec respuo Gallici interpretis aliqua ex parte supplementum (post hæc *ego plus stercoris exhausi*) quod sic latinæ consuetudini trado. *Claudii verbis pietate commotus Hercules, eum introduxit in coelum. Vix ingresso, quidam minorum gentium Dii, Herculem stipdrunt; quorum unus. Non mirum*, inquit, *quod impetum* &c.

94. Ἐπικούρειος θεὸς

Deos monogrammos inertesque fecisse Epicurum haud diffiteor; at

circa physica dumtaxat, minimè vero circa moralia, uti ex Laertio lib. x. colligitur, & olim in Epicuri apologia, quam italico sermone conscripsi impressam Ven. 1756. satis ostendi adversos eos, qui more pecudum, Epicuri obtrectatoribus adstipulantur, Praeceptoris placita cum discipulorum sententiis confundentes. Seneca, cum alias (*de Benef.* lib. iv.) asseruisset Epicurum Deos agnovisse utique, sed nihil agentes, negligentesque nostri in hac Satyra, sententiae suae consona protulit. Claudius igitur cum mala plurima fecisset, & plurima passus esset, nequibat Epicureus Deus esse qui nihil agit. Hic profectò, vel antiqua retineatur, vel novae Formondi, Gronoviique lectiones admittantur; hic, inquam, sequentium verborum est sensus.

95. ROTVNDVS

De hac Dei rotunditate consulendus Plato, qui apud Laertium lib. iii. N. 41. & mundum, & mundi Conditorem ad sphaerae similitudinem rotundos esse docet. Adi etiam Plutarcum *de plac. Philosoph.* cap. vi. Tertullianus quoque in Apolog. cap. xiv. *Varro*, inquit, *trecentos Joves*, *sive Jupiteres dicendum*, *sine capitibus inducit*. Seneca autem Stoicorum opinionem heic recantat, quam jam retulerat, immo luserat in Epist. cxiii. ubi sic loquitur. *Quid porro non interrogabo illos quam figuram habeant ista animalia*, *hominis*, *an equi*, *an ferae*? *Si rotundam illis*, *qualem Deo dederint formam*, *quaeram an & avaritia*, *& luxuria*, *& dementia aequè rotundae sint*? *sunt enim & ipsae animalia*. *Si has quoque corrotundaverint*; *etiamnum interrogabo*, *an prudens ambulatio animal sit necne*? *confiteantur necesse est*. *Deinde dicant ambulationem esse animal*, *& quidem rotundum*.

96. SINE CAPITE, SINE PRAEPVTIO

Locus difficilis, inquit Havercampius in not. ad Tertull. Apologet. cap. 14. tanto magis, quia nec vola nec vestigium ejus apud Varronem, cujus pleraque, & longe optima interciderunt. Ipse vero nullam heic video difficultatem. Satyricus comparat stolidum hunc Caesarem Stoicorum Deo. Stoici, ut nemo non scit, negabant Deum membra habere: carebat ergo capite, manibus, ventre, & quibus sub ventre sunt; ideoque Claudium, Stoicorum Deo similem, capite atque praeputio carere ajebat. Haec profecto Stoicorum sententia, obscoenam evertebat ab imo mythologiam, quae cum Jovis,

Martis, Apollinis, Mercurii &c. adulteria, stupra, incestaque describeret, his certe Numinibus membra tribuebat.

97. SINE PRAEPVTIO

Vel ob morbum, vel quod jam ob aetatem ad Venerem inutilis foret: ita Rhenanus; sed haec refragantur Svetonii verbis, quibus discimus Claudium, perprospera valetudine usum, ex tribus uxoribus plures tulisse liberos. Virum autem sexagenarium ad coitum omnino inutilem, affirmat nemo.

98. NEC COR NEC CAPVT HABET

Metaphoricè: cor pro *animo*, caput pro *mente*: uno verbo *jam video; crudelis est, ac hebes*. Claudii crudelitas nunquam detestabilior apparuit, quam ad Fucinum lacum, ubi ut sese recrearet, insontes Naumacharios mori coegit: horum enim flebilibus vocibus *Ave Imperator: morituri te salutant*, nihil omnino permotus asperrimè

Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes

respondit, teste Svetonio cap. 21. *Avete vos*; at perlege quae sequuntur: *neque post hanc vocem, quasi venia data, quisquam dimicare vellet, diù cunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem è sede sua prosiluit, ac per ambitum lacus, non sine foeda vacillatione, discurrens, partim minando, partim adhortando, ad pugnam compulit*. Rectè igitur Egnatius cap. v. *Nescias in hoc Principe, quid primum accuses; adeo vecordia cum saevitia, & luxuria certabant*. Hinc meritissimè soror ejus Livilla, cum audisset quandoque imperaturum, *tam iniquam*, uti narrat Svetonius, *& tam indignam sortem Populo R. palam, & clarè detestata est*.

99. SATURNALIA

Quamvis Claudius, teste Dione, quintum diem Saturnalibus (quem Cajus aboleverat) restituisset, Saturnalia tamen toto anno nunquam celebravit. Seculares vero ludos edidit, uti refert Svetonius xxi. Itaque opinor, Senecam Saturnaliorum festa, pro secularibus ludis nominasse, quod omnes hujus Menippeae illustratores fugit; eo quod forte putarint (quod valde mirum) Saturnalia festa, & seculares ludos unum, & idem fuisse. Mirum, inquam; nam Saturnalia in honorem Saturni instituta fuere: seculares ludi Ditis & Proserpinae. Illa septem occupabant dies: isti totum annum. Illa quotannis celebrabantur: hi post

centum annos. V. Rosin. A. R. lib. v. 21. Notandum insuper Præconem Claudianos ludos indicentem, hoc pacto indixisse, *Quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset*; eamdem scilicet formulam adhibuisse, qua indicebantur sacra Eleusinia, quæque a Romanis nonnisi in indicendis ludis secularibus usurpabatur. V. Meurs. *in Eleusin.* cap. 1.

Non mihi novus profecto Nummus ille plumbeus sub Claudio cusus, quem Petrus Seguinus vulgavit hujusmodi



Ast falsum est ex hoc nummo conjici posse Claudium aliquando Saturnalia celebrasse. Constat enim, aut saltem verisimile est illum edidisse Romanos in Britannia in derisum Narcissi cum A. Plautii legati tribunal conscendisset, ut militibus adloqueretur. Totam rem aperit Dio lib. XL. & ex Dione laudatus Seguinus in epistola ad Raph. Trichetum.

100. QVEM QVANTVM &c.

Locus corruptus, sic restituendus. *Qui, quantum quidem in ipso fuit, damnatum incesti, L. Silanum generum suum occidit*. Silanum Claudii generum dicit Author; jam actum præsumens, quod futurum erat; ille enim Octaviam Claudii ex Messalina, filiam, nondum in matrimonio habebat.

101. DAMNATVM INCESTI

L. Vitellii, A. Vitellii Cæsaris patris, nequitiâ, atque perfidiâ. Rem totam (de qua obiter, brevissimèque Svetonius; nihil Dio) a Tacito Ann. XII. 4. apertam, accipe. *Igitur Vitellius nomine Censoris serviles fallacias obtegens, ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinæ pararet, consiliis ejus implicari*;

ferere crimina in Silanum, cui sane decora, & procax soror Junia Calvina (non ergo Junia Silana, uti Britannici scripsere Socii eruditissimi, neque Oropen, uti somniarunt alii), *haud multum ante Vitellii nurus fuerat : hinc initium accusationis fratrisque non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit.*

102. OCCIDIT

Silanus, inquit Svetonius cap. 29. *abdicare se Pretura ante quartum Kal. Januarias morique initio anni coactus, die ipso Claudii, & Agrippinæ nuptiarum*. Ita Tacitus Ann. XII. 8. *die nuptiarum Silanus sibi mortem conscivit; sive eo usque spem vitæ produxerat, seu delecto die ad augendam invidiam*. De Silani nece hæc Nutrix Octaviæ in ejusdem nominis tragoedia Act. I.

Genitamque fratris conjugem captus sibi (Claudius
Toris nefandis flebili junxit face.
Hinc orta series facinorum, cædes, doli,
Regni cupido, sanguinis dira sitis,
Mactata soceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.
Proh facinus ingens! foeminæ est munus datæ
Silanus, & cruore foedavit suo
Patrios Penates, criminis ficti reus.

Junia vero Calvina, Italiâ pulsa est. Tacit. A. XII. 8. vixisse autem usque ad Vespasiani imperium, subdubitat Lipsius. V. Svet. in Vesp. XXIII.

103. QVAM OMNES VENEREM VOCABANT

Veneri formosiores comparare foeminas consuevisse Romanos, liquet ex Numis, in quibus Agrippina, Neronis mater, VENUS COELESTIS: Annia Faustina, VENUS AUGUSTA: Faustina junior, VENUS GENETRIX: Lucilla, L. Veri uxor, VENUS VICTRIX: Salonina Gallieni, VENUS FELIX appellantur.

104. MALVIT IVNONEM VOCARE

Quæ Jovis & soror, & uxor. Tacitus, uti ex superius relatis, Silanum incustoditi potius amoris, hoc est imprudentiæ, quam incesti insimulat Tragicus in carminibus sub N. CII. relatis *reum ficti criminis* eum dicit: ex hoc vero scommate Author noster, Prætorem illum vere incesti reum fuisse innuit.

105. QVARE QVAERO ENIM.

Locus iste omnes solicitavit Senecianæ satyræ illustratores. Textum quidem foede corruptum nemo non videt. Ego legendum puto: *quid ergo? (inquit Claudius) licet ne sorori studere? Stultè subdit unus ex Diis, an ignoras Athenis dimidium licere, Alexandriæ totum?* Hanc, donec a subtiliore Oedipo veriora prodantur, Senecæ fuisse mentem, pro certo habebo.

106. ATHENIS DIMIDIVM

Uterinis sororibus nubere Atheniensibus licebat, non vero germanis. Aemilius Probus, seu Cornelius Nepos asseveravit Cimonem Miltiadis F. in matrimonio Elpinicem sororem suam germanam habuisse, *non magis amore quam patrio more ductus*, nam *Atheniensibus licet eodem patre natas, uxores ducere*: sed sphalma hoc esse Historici, aut codicis mendum, Dion Lambinus, & Gib. Longolius *in* Corn. Nep. *Cimone* authoritate Andocidis, Athenæi, Plutarchi, & Suidæ fusè demonstrarunt. Revera si germanam ducere uxorem Athenis lex permittebat, quare Cimon ob ductam Elpinicem per testulam in exilium pulsus est? Erravit ergo Gronovius, qui planè, ac præter Senecæ mentem affirmavit Atheniensibus cum uterinas, tum germanas sorores uxores habere licuisse. Profectò contrarium omninò sensisse Nostrum, nomè ipsa testantur verba, ATHENIS DIMIDIVM, Alexandriæ TOTVM? Num Gronovius pro germana, sobrinam intellexit? At si res ita se habet, tunc, inquam, ad amphibologiam tollendam suum aperire sensum debuisset, quemadmodum debuerat & Al. ab. Alex. qui G. D. lib. I. cap. 24. cum hac de re ageret, tanta adeo est locutus ambiguitate, ut sibi ipsi contradixisse videatur. Communia utique thalami jura sororibus cum fratribus dedisse Eegyptios, præter Lucanum lib. x. testatur Diodorus lib. I. Hinc Philadelphus, & Arsinoe, quodam ἀνοσίῳ connubio ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ titulum, in numis, & marmoribus obtinent. Apud Hebræos etiam, usque ad legem datam, soror germana, paterni tantum sanguinis, & non uterina, fratri non erat interdicta, Abraham de Sara Gen. xx. 12. *Vere*, inquit, *soror mea est: est enim filia patris mei, tametsi non sit filia matris meæ, & facta est mihi in uxorem*. Apud Persas demum, Cambysis exemplo, introducta sunt sororum conjugia, teste Herodot. lib. III. 31. Perlege, si vacat, M. A. Mureti Var. lect. libri septimi caput I. cui titulus: *Sorores uxores ducere num apud Athenienses licuerit*. No-

fandum interim horum connubiorum exempla, ipsos præbuisse Deos. Ovidius Met. lib. IX.

> .... *Dii nempe suas habuere sorores:*
> *Ut Saturnus Opim, junctam sibi sanguine duxit;*
> *Oceanus Tethin, Junonem rector Olympi.*

107. ALEXANDRIAE TOTVM

Ideft sorores ipsas, ejusdem parentibus genitas in matrimonio habere. Singulis, uti tradunt Historici, commune hoc Aegyptiis fuit, apud quos, post prosperas Osiridis cum sorore Iside nuptias lege statutum est ut cum sororibus matrimonium iniretur. Exempla præbent Antiochus ΘΕΟΣ, Ptolemæus Philopater, Ptolemæus Philadelphus, Ptolemæus Lathurus, qui Laodicis, Euridicis, Cleopatræ, & Arsinois fuere fratres virique. Ast nefanda hæc connubia, permissa quoque Persis, Babyloniis, Epirotis, Macedonibus, & Lesbiis (quorum quidam haud sororibus tantum, sed & filiabus nubere soliti) docet Al. ab Alex. ut sup.

108. MVRES MOLAS LINGVNT

Gallus ΞΞΕΓΕΤΗΣ sic vertit: » il trouvoit etrange que les souris mangeassent la farine au moulin » Quot verba, tot sphalmata; nam primum incertum est an heic agatur potius de mola frumentaria, quam de olearia, aut fabaria, aut vinaria, aut fullonia: secundò, Mola, non est farina, sed lapis molaris, quo farina teritur: insuper *lingere*, non est *manducare*, sed aliquid lingua molliter tangere, gallicè » lecher « italicè » leccare « demum, quod corpora solida lingantur, audivi sæpe; corpora verò in pulverem resoluta, nunquam. Cæterum hos ego errores, licet non magni momenti, notandos tamen censui, ut lectores, quæ Gallicis versionibus adhibenda sit fides, videant. Falsa nec minus est Roussovii interpretatio » ignorez-vous qu'a Rome les rats mangent le fer? » Quid autem hoc proverbio intellexerit Noster, me penitus ignorare fateor, nec erubesco, nam ignorarunt pariter Erasmus, Manutius cæterique Adagiographi. Verumtamen mihi in memoriam subit mos Gentilium conspergendi mola salsa victimæ caput. Mola salsa farre tosto, & sale constabat: hæc priusquam inter victimæ cornua deponeretur, a Sacerdote, & adstantibus degustabatur. *Mures* igitur *molam lingere* Deastrum illum dixisse puto, ad significandum Romæ, Deorum cultum omnino defecisse, esseque templa adeo deserta, ut nemo sacrificiis

interesset, molam falsam degustaturus; quam ideo mures impunè lingebant. At nihil affirmo.

109. CVRVA CORRIGIT

Velut si diceretur Claudius adeo circa Venerem est intemperans, ut ad libidinem suo nos exemplo incitet. Ita Rhenanus, sed perperam; nam *curvâ corrigere* proverbiale dicterium est, nihil obscoeni continens; immo severum, & censorium virum designans. Plinius, scriptorum modestissimus, lib. v. Ep. 21. *invenimus*, inquit, qui *curvâ corrigeret*, h. e. virgula censoria, quæ agitata curvabatur. Hujus autem Deastri heic interloquentis apostrophe, Tulliano respondet ironico scommati in Cn. Pompejum: *O præclarum .... correctorem atque emendatorem nostræ civitatis!* conveniebatque Claudio, qui eodem tempore quo vituperabat Silani cum sorore familiaritatem, ipse contra fas invitisque legibus Agrippinam neptem ducebat uxorem.

110. COELI SCRVTATVR PLAGAS.

Astronomiæ quoque operam dedisse Claudium, Solisque Eclipsim prædixisse testatur Dio lib. LX. *Quod vero*, inquit, *natali suo defectio Solis futura erat, veritus ne tumultus inde excitaretur, quum alia etiam prodigia accidissent, antequam fieret, scripto publicè proposito, non modo futuram eam defectionem, & tempus, & quantitatem ejus significavit, sed etiam causas, ob quas necessario eventurum erat*. Post hæc, causas ipsas ab Imperatore rectè disertèque extricatas, refert Dio, concluditque his verbis. *Hoc ita Soli accidit, ac tunc ita a Claudio publice expositum est*. Claudium igitur (quem Historicus collaudat) coelestium plagarum scrutatorem immerito Satyricus noster deridet.

111. TEMPLVM IN BRITANNIA

Miror de Britannico Claudii templo ne verbum quidem reperiri apud Svetonium, Dionem, Victorem, Eutropium, Plinium cæterosque R. historiæ Scriptores. Memorat hoc vero Tacitus A. XIV. 31. *Ad hæc Claudio templum constitutum quasi Arx æternæ dominationis aspiciebatur; delectique Sacerdotes, specie religionis, omnes fortunas effundebant*. Pro *Arx* quidam legunt *Ara*, sed minus rectè. Pars enim pro toto sæpe accipitur, at totum pro parte penitus insolitum. Hinc si Tacitus dixisset *Ara quasi templum*,

quiescerem : secus verò , ideſt *Templum quaſi Ara* , ut abſurdiſſimum rejicio , quemadmodum & Lipſianam *arram* , in quam Taciti *Arcem* , ulla abſque neceſſitate transformare, ridiculum viſum eſt olim Freinſchemio : hodie mihi . Cæterum , templa Claudio in Britannia excitata , ſolus aſſerit Tacitus . Illud vero de quo heic agitur, Camaloduni, vulgo MALDEN , in majori Britannia collocat Petrus Berthaldus *de Ara* lib. ſing. cap. XXX. 4. Sanè Auctor Epigramm. LXXXIV. Anthol. Lat. lib. II. *Aras* tantum nominat , ſic

Auſoniis numquam tellus violata triumphis
Icta tuo , Cæſar , fulmine procubuit ;
Oceanuſque tuas ultra ſe reſpicit ARAS .
Qui finis mundo eſt , hic erit Imperio .

De hac Ara conſulendus omnino Henricus Cannegeterius in eruditiſſima de Brittenburgo Diſſertatione cap. x. Romæ utique templum in D. Claudii honorem ab Agrippina coeptum refert Svetonius . De ſitu certant , ſed fruſtra Antiquarii , quorum nonnulli illud fuiſſe aſſerunt quod hiſce diebus D. Stephano vulgò *Rotundo* dicatum inter Baſilicam Lateranenſem , & S. Mariam *in Domnica* viſitur . Ut ut res ſit , certum eſt extitiſſe in monte Coelio , uti tradit Hiſtoricus in Veſp. IX. *Fecit* , Veſpaſianus , *& nova opera ; templum Pacis foro proximum* , *Divique Claudii in Coelio monte* &c. Nec templa tantum , ſed & Sacerdotes fatuus iſte Cæſar habuit , uti antiqui teſtantur Gruteriani lapides in quibus Q. Petronius Modeſtus , P. Cornelius Aſper , C. Memmius Marianus , C. Cornelius Minicianus DIVI CLAVDI FLAMINES dicuntur .

112. *Ἀλώρου φιλάτου κηὶν*

Nemo Interpretum , quos in Epiſtola prooemiali laudavimus , verba hæc enucleare aggreſſus eſt . Nicolaus Faber , ea deſperatæ prorſus lectionis eſſe aſſerit . Anonymus Gallus : « on ſcait aſſez » inquit » » le gout de ces Barbares pour une bete qui reſſemblè a Claude » Rouſſovius , cum ad teli jactum , uti ajunt , pervenerit , vela contraxit , ſilentioque difficultatem præterit .

113. INTRA CVRIAM

Cæleſtem aulam , Romano vocabulo , Curiam appellat .

114. MERA MAPALIA

Virgilius Georg. III.

. . . . *& raris habitata mapalia tectis*:

ita Lucanus lib. II.

. . . . . . *pelago delatus iniquo*
Hostilem in terram vacuisque mapalibus actus.

Sic Calpurnius Siculus ad Nemesianum Buc. Ecl. VII.

. . . . *quid te stupefactum, rustice, dixit*
Ad tantas miraris opes, qui nescius auri
Sordida tecta, casas, & sola mapalia nosti?

Apud Petronium cum duplici *p* scribitur, ubi cap. 58. *haud numera mappalia*: h. e., docente Scheffero, *ne singulas pergulas in via inspice*. Festo tamen MAPALIA sunt *casæ punicæ in quibus quia nihil est secreti, solet id vocabulum solutè viventibus objici*. Dicterium hoc cæteris Interpretibus obscurissimum, Josephi Scaligeri verba (Not. in Fest. Pomp. p. 87.) elucidabunt. *Mera mapalia fecistis; idest susque deque habuistis, & dissolutè potius egistis; vel potius. Vos o inepti, & dissoluti, id fecistis. Vide quam bene locus ille ex Menippæa Senecæ, hujus loci collatione illustretur; & tamen mirum quantum negotii facessit viris doctissimis, qui in loco Senecæ exponendo plurimum æstuarunt*. Veram sane hanc esse loci illius explicationem minimè diffiteor; at æque verum reor, hanc, dissoluti vacuique sermonis, cum Poenorum casis, comparationem, subfrigidam esse ineptamque; nam uno verbo Jupiter redarguit Deastros illos, quod haud graviter, ut Superos decebat, sint sermocinati, sed mera titivilitia dederint. Sic M. Cornutus in Satyra a Fulgentio *serm. ant.* laudata: *Titiviles, Flacce, do tibi*.

115. PRIMVS INTERROGATVR IANVS PATER

Fingit Numina in hoc judicio eumdem servasse ordinem, quem Romæ in reddendis suffragiis, seu sententiis dicendis, Patres Conscripti servabant; ut nempe quisque grandior natu esset, is prior sententiam ferret. V. Fenestellam, seu Dom. Floccum de *Magistratibus* Rom. lib. II. cap. I. Janus igitur quasi Deorum pater, Deusque, teste Macrobio Saturn. I. 9. ideoque antiquissimus, cæteris in hoc concilio erat merito præferendus. Hinc Antonius *adv. Gent.* v. 66. ap. Wonchium

Sacra Jovi faciunt, & Jupiter optime dicunt,
Huncque rogant; at (te) *Jane pater primo ordine ponunt*.

116. DESIGNATVS

Designati Consules dicebantur, qui creati in annum proximum nondum Consulatum iniissent, ejusdemque insignia sumpsissent. Adi Henr. Kitschium sexcentosque de hac re Scriptores. KAL. IVLIAS. Quamvis communiter Consulatus iniretur Cal. Januariis, vel Idibus Martiis, constat tamen aliquando initum fuisse Cal. Quintilibus. De dierum ineundis Magistratibus mutatione, disertè scripsere Perionius, Gruchius, Manutius, Zamoscius, Possardus, Hotomannus apud Clausingium tom. III.

117. POSTMERIDIANVS

Nescio quare. Nam si referatur ad *Janum*, matutinus potius dicendus erat, quam postmeridianus, cum mane primus invocaretur, ut refert Arnobius *adv. gent.* lib. I.; censebatur enim per illum tamquam per januam coeli preces hominum, & vota Superis facta, ad eos perferri, teste Plut. *in Numa*. Hinc Horatius lib. II. Sat. 6.

Matutine Pater, seu Jane libentius audis
Unde homines operum primos, vitæque labores
Instituunt.

Si ad *Horam*, notum est Janum horis omnibus nedum postmeridianis præfuisse. Ovidius Fast. lib. I.

Præsideo foribus cœli cum mitibus Horis.
It, redit officio Jupiter ipse meo.
Inde vocor Janus.

Si demum ad *Consulatum*, numquam audivi Romanos hoc pacto discrevisse Consules, ut alter matutinus, alter postmeridianus sive pomeridianus appellaretur. Quid ergo? Ad horam fortasse respexit Seneca, qua, ut Svet. *in Ner.* 8. tradit, *de Claudii obitu palam factum est*; nempe postmeridianam: aut ad risum captandum, Janum, data opera, Consulem *postmeridianum* designavit, cum neminem lateret, post meridiem, non ferè quicquam rei incipere Romanos consuevisse, præsertim Magistratus, uti videre est apud Turnebum ad illud Plauti Mostell. III. 1.

..... *Heus, jam appetit meridies.*

118. QVI SEMPER VIDET ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

Janus Δίμορφος, seu ἀμφιπρόσωπος h. e. Bifrons, immo & Quadrifrons cultus est a Gentilibus, ut ex Mythologis discimus. Pingebatur biceps bifronsque, quod Rex fuerit summa præditus prudentia, vi-

deinque procul ventura, & præterita respexerit. Huc spectat Ovidii locus Fast. I.

Jane biceps anni tacitè labentis origo
Solus de superis, qui tua terga vides.

Sic Persius Sat. I.

O Jane, a tergo quem nulla Ciconia pinsit.

Quadrifrontem etiam eum effingebant, quod quatuor mundi climata majestate sua complecti videretur, authoribus Jul. Aurelio *de Cognomin. Deor.* lib. III. cap. I. & Jos. Moinardo Vercellen. *Rubr. Cod. Publ. &c.* N. XI. Hujusce Jani templum excitisse in Foro Transitorio refert Donatus, Bifrontis verò, circa imum Argiletum juxta theatrum Marcelli a Numa excitatum, authore Servio *Aen.* VII. Verum, de Jano, ac præsertim de Janis, *Quirino*, & *Gemino*, præter antiquos Mythologos, scitè disseruerunt Fam. Nardinius, Jos. Castalio, Phil. Venutus, aliique.

119. NOTARIVS

Notarii, Auctoris N. ætate erant qui dicta calamo excipiebant, certisque notarum compendiis loquentem prosequebantur: hos Græci appellabant ταχυγράφους, & ὀξυγράφους. Heic de Notario agitur actuario, uno scilicet ex illis, quorum officium Romæ fuit in Acta referre, quæ in Senatu dicebantur, & ad populum. Isti sanè ab Amanuensibus differebant, necnon à posteriorum maximè Christianorum temporum Notariis. Extant Lapides, in quibus legimus CL. CLAVDIANO (poetæ) TRIBVNO ET NOTARIO Grut. CCCXCI. 5. RVFIVS PRAETEXTATVS TRIBVNVS ET NOTARIVS PRAETORIANVS. Grut. CCCCLXIV. 8. pr. Edit. De antiquorum Notariorum in scribendo velocitate Martialis lib. XIV.

Currant verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Venustè, nisi quod prolixè nimis ad Notarium suum velocissimè excipientem, Ausonius Epigr. 146.

.... Mota parcè dextera
Volat per æquor cereum.
Quum maximè nunc proloquor
Circumloquentis ambitu;
Tu sensa nostri pectoris,
Ut dicta, jam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi

Vellem dedisset mens mea,
Quam præpetis dextræ fuga
Tu me loquentem prævenis
Quis, quæso, quis me prodidit?
Quis ista jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere? &c.

Vide si vacat, quæ de Notariis, Notisque scripsere Vinetus, & Soucæus *in Auson.*, Raderus *in Martial.*, Titus Popma *de Operis serv.* Brissonius, Ducangius, &c.

120. NIMIVM FECISTI

Nimis Polytheismum auxisti, permultos faciendo Divinitatis participes, quemadmodum D. Romulum, D. Julium, D. Augustum, D. Liviam, D. Drusillam, ita ut Divinitatis honos jam contemptu dignus habeatur. At hujuscemodi Deorum numerum, Assentatores deinceps multiplicasse, constat ex Historicis; penes quos XIV. recensentur Augustæ, Divarum titulo decoratæ; Augusti, XLVIII.

121. DEVS FIAT

Eadem loquendi ratione festive usus est Vespasianus, morti proximus. *Ut puto*, inquit, *Deus fio*.

122. QVI ἀρούρης &c.

Ex his qui *agrorum fructu vescuntur*. Aut ex his quos ζείδωρος ἄρουρα, *rus frumentiferum* alit.

123. FICTVS PICTVSVE ... DEDI LARVIS.

Pictus, *fortè fictus* inquit Junius: legi ergo deberet *fictus fictusve*, quod omnino insulsum. Deorum enim imagines, & fictiles, & pictas habuisse Gentiles, cui novum? DEDI, puto legendum *Dedo*, h. e. *larvis trado*.

124. MVNERE

Gladiatorio spectaculo. De voce *Munus*, scitè Tertullianus *de spect.* cap. XII. Hinc *Munerarii*, qui publica edebant spectacula curabantque.

125. AVCTORATOS

Qui se ludo ad gladium venumdabant, *Auctorati* dicebantur, seu obligati, & obstricti ad quidlibet perpetiendum. V. Hor. II. Sat. 7.

126. PROXIMVS INTERROGATVR

De ordine rogandi ſententias, Manutius Antiq. lib. II. cap. 8. V. ſup. Not. CXV.

127. DIESPITER

Diei pater. Quædam cognomina pluribus fuiſſe Diis communia, docent Mythologi; & revera Dieſpiteres dicti ſunt Janus, Jupiter, & Apollo ſive Sol. At ex iſtis nemo matrem habuit nomine Vice-potam. Janus enim Hecatis filius dictus eſt; Jupiter Opis; Latonæ Apollo. Quis ergo fuerit Deaſter hic, *proximus interrogatus*, devinet Oedipus.

128. VICAE POTAE

Quæ Dea? nemo hactenus aperuit. De Pota, Potina, & Peta, ſæpe ſermonem plerique habuere veteres: de Vice-Pota, ne unus quidem. Illos enim, qui locum illum Livii lib. 2. VBI NVNC VICVS PVBLICVS, in *Vicæ Potæ*, vel *Vicæ Pocæ* immutarunt, erraſſe oſtendit Nardinius R. A. lib. v. cap. 5. Lipſius, nulla tamen authoritate fretus, ſub Vicæ-potæ nomine, Deam *Victoriam* latitaſſe autumat: aſt *Victoriam*, liberos aliquando genuiſſe, nullibi reperimus: immò virginitatem ſervaſſe, ac ut Virginem eam Romanos eſſe veneratos, conſtat ex Victore, apud quem de ædicula VICTORIAE VIRGINI a Catone dedicata mentio fit in Regione Urbis VIII. Filios quippe Victoriæ, ne inter Deos miſcellaneos quidem, theologia Gentilium unquam agnovit. Hoc unum ſcio, Romanos nempe coluiſſe Victuam, & Potuam, ex quibus fortaſſe Author noſter Vicepotam effinxit, compoſuitque, quo tamen etiam poſito, minus locus iſte obſcurus fieri diffiteor.

129. NVMMVLARIOLVS

Non equidem ex iis qui nummos probabant an æqui ponderis, bonæque fuſionis eſſent, de quibus celebris habetur locus in Apulei A. A. lib. x., ſed ex illis qui nummos permutabant, aut potius qui foenus locabant, & mutuam pecuniam dabant ſub uſuris, quemadmodum Argentarii, & Trapezitæ, a quibus vix diſtinguebantur. Hoc profecto ulcus, Senecam Trapezitarum, Foeneratorumque facile principem, tangere minimè decebat: in eum enim facile hæc cudi poſſet faba. V. Dion. lib. LXI. Quod ad hujus vocabuli ortographiam attinet, conſtat antiquos promiſcuè ſcripſiſſe *Nummularius*,

& *Numularius*: teſtantur id Gruterianæ Inſcriptiones: in hac, quam ſub oculis habeo, quamque retuli in Muſei Capitolini Lapidibus Tom. III. cum unica *m* legitur

TI . IVLIVS
IVCVNDVS
NVMVLARIVS

Nummulariorum jucundiſſima cum Medicis comparatio habetur apud Petronium cap. LVI. ubi Trimalchio: *Quod autem*, inquit, *putamus poſt litteras difficillimum eſſe artificium? Ego puto Medicum, & Nummularium. Medicus, qui ſcit quid homunciones intra præcordia ſua habeant, & quando febris veniat. Nummularius, qui per argentum aes videt.*

130. CIVITATVLAS VENDERE SOLEBAT

Hoc eſt: jura Romanæ urbis, aliarumque civitatum, mercede accepta, vendebat. Aliquem ex Claudii libertis, his, Authorem, deſignaſſe verbis, libenter cum Gronovio ſentirem: revera jura Romanorum civium Libertos, favente Meſſalina, vendidiſſe jam obſervavimus Not. XXXIII. At 1.° Claudii liberti non civitatularum jura tantum vendebant, ſed Romanæ urbis. 2.° Quis credat Libertum, in Deorum concilio, ſecundum obtinuiſſe locum, atque jus ſententiam dicendi immediatè poſt Janum deorum patrem? 3.° Quis ex viliſſimis Claudii libertis matrem habuit Vicepotam? 4.° Libertorum quis unquam, præter unum Antinoum, (diu poſt Claudiana tempora) in coetum Deorum adſcriptus?

131. AVRICVLAM TETIGIT

Vellicavit: Virgilius Ecl. VI.

Cum canerem reges & prœlia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit.

Egregie hoc proverbium explanavit Eraſmus in Adag. p. 338. Edit. Antuerp. 1540. *Aurem*, inquit, *vellere*, *dicebant admonere*; a priſco ritu ſumpta figura, quo in jus ducturi quempiam aurem vellicabant, anteſtantes eum, quem quaſi teſtem meminiſſe volebant. Perpulcrum iſtius ritus teſtimonium extat in quodam lapillo (adi Lipſium in *quæſit. per epiſt.* 28.) in quo caput ſculptum, & manus aurem at-

tingens, cum inſcriptione MNHMONEYE, *Memento*. Ejuſdem ritus exempla habentur in *Pœnulo* Plautino Act. v. necnon in tertio Horatianorum *ſermonum* libro, a Briſſonio *de Form.* lib. v. & Heineccio *Antiqu. Rom.* lib. IV. cap. VI. laudata. Aures, *Memoriæ* Deæ, Jovis uxori, Muſarumque matri ſacræ erant, teſte Arnobio *adv. Gent.* lib. III. Sed & Minervæ quæ è Jovis cerebro, memoriæ ſede emerſerat: hinc Lapis ille Placentinus apud Thomaſin *de donar.* cap. XXIII.

MINERVAE AVG.
L. CALLIDIVS . PRIMVS
BRIXELLANVS . EX . ARG.
LIB. II. ITEM . L. CALLIDIVS
PRIMVS . AVRES ARGENTEAS
V. S. L. M.

& apud Urſatum *Monum. Patav.* lib. I. Sect. 7.

AVRIBVS
B. D. D.
PETRVSIA . PROBA
MAGISTRA
GALGESTI
HERMEROT.

V. Edonis Neuhuſii *ſacr. Fatidic.* lib. II. cap. 33.

132. DEAM ESSE IVSSIT
Svetonius in Claud. XI. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompa carrum elephantorum, Auguſtino ſimilem, decernendum curavit*. Livianæ conſecrationi analogum nummum a Claudio percuſſum exhibet Bellorius *in Aug.* 2. cum epigraphe DIVA AVGVSTA.

133. OMNES MORTALES SAPIENTIA ANTECELLAT.
Elogium eſt hyperbolicum utique, at non ironicum; nam Claudius revera in omni dicendi genere inter coævos unus eminebat; aut ſaltem ætatis ſuæ Oratores æquabat, ita ut valde eum declamantem

admiraretur Augustus. V. Not. XXV. & LV. Ipse immo audiatur Seneca; *jam omnium præcepta sapientum, assueta sibi facundia Claudius explicuit; nullus itaque melius has alloquendi partes occupaverit*. Hæc in opusc. *de consol. ad Polyb.* cap. 33.

134. FERVENTIA RAPA VORARE.

Scitè hunc locum illustravit Cl. Georgius Arnaldus Comment. de Diis ΠΑΡΕΔΡΟΙΣ Cap. IV. sequentibus verbis: *Congruum erat ut Imp. Romanus cum ejusdem Populi quondam Rege, ad eamdem mensam accumberet, & eisdem cibis vesceretur*. Ast Seneca, prisca rememorat tempora quibus Romani oleribus atque leguminibus nutriebantur. Hinc Boethius de Conf. Philosoph. lib. II.

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu
Facili, quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.

Fingit ergo Romulum eisdem in coelo cibis victitare, quibus in terris vescebatur. Commentum hoc imitatur Martialis lib. XIII. cum scribit

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa;
Quæ damus, in coelo Romulus esse solet.

V. Julian. Aug. *in Cæsarib.* ubi agit de convivio, Romulo, a coelitibus dato. De Raporum natura conf. Athen. lib. X. Colum. lib. II.

135. μεταμορφώσεις

De hac voce fusè Heinsius in Ovidianum hujusce tituli librum I.

136. FERRVM SVVM IN IGNE ESSE

Explicat hanc paræmiam Hercules ipse, cum paulo inferius ait, *mea res agitur*: ubi *adludit*, inquit Manutius, *eo quod ipse quoque ex homine factus est Deus*.

137. MANVS MANVM LAVAT

Græcum adagium χεὶρ χεῖρα νίπτει, latinum ab auctore factum, quodque Epicharmo, vel Menandro tribuit Reinesius *Not. in* Petronii *Satyricon*, ubi cap. 45. *Computa*, inquit, *& tibi plus do, quam accepi; manus manum lavat*. Idem hoc pacto effertur; *Manum ma-*

nus fricat; nam mutua commoditas est, quoties vel fricat, vel abluit manus manum: hinc distichon apud Manutium

Urbs servat urbem, servat inde vir virum,
Manus manum, digitumque digitus abluit.

138. TERRA MARIQVE PACEM

Anno imperii Octaviani Augusti XLII. totum orbem in pace compositum, præter profanos, Ecclesiastici asserunt unanimiter Historici. V. Baron. in *not. ad Martyrolog.* VIII. Kal. Jan. Hinc nummi Augusti plerique cum pacis typo, cum epigraphe modo IAN. CLVS. modo SALVS GENERIS HVMANI, modo PACI PERP. Svetonius *in Aug.* XXII. *Janum Quirinum semel atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio.* TERRA MARIQVE PACE PARTA, *ter clausit.*

139. LEGIBVS

Confirmat hoc Tacitus Ann. III. 28. Leges ab Augusto latæ reperiuntur apud Manutium *de legib. Rom.* scilicet: *Sumptuariæ*: *de adulteriis*: De *Perduellione*: De *Judicum numero*: De *testamentis*: De *prætextatis Senatorum liberis*; at maxime memorabilis ea est, quâ prohibuit juvenes utriusque sexus ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum. V. Svet. *in Aug.* XXXI.

140. OPERIBVS ORNAVI

Ut jure sit gloriatus, inquit Svetonius cap. XXIX. *Urbem marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.* Præcipua Augusti opera fuere templum Apollinis Palatini; Forum, cum æde Martis Ultoris; ædes Tonantis Jovis in Capitolio; Basilica Lucii, & Caji; porticus Liviæ, & Octaviæ; Theatrum Marcelli.

141. MESSALAE CORVINI

Hic est Marcus ille Valerius Messala Corvinus, qui primus Augustum, Senatus populique R. nomine, Patrem Patriæ consalutavit, teste Svetonio in Aug. LVIII. *Vir fuit* (M. Sen. controv. 12.) *exactissimi ingenii in omneis studiorum partes.* Libros nonnullos edidisse constat ex G. I. Vossio, de quibus tamen quædam tantummodo fragmenta supersunt apud Svetonium *in Aug.* 74. Gellium lib. XIII. 14. 15. Macrobium Sat. lib. I. 16. Libellum enim *de progenie Augusti*,

qui ſub Meſſalæ nomine circumfertur, laudatus Voſſius ſuppoſititium credit, Caſpar vero Barthius, medii ævi fœtum. Sententia vero, ad quam heic confugit Auguſtus in ſupradictis fragmentis, non extat.

142. QVAM CANIS EXTA

Canem inteſtina guſtaſſe, periculoſum eſt: paroemia eſt apud Theocritum, & Lucianum. Horatius quoque 1. Sat. 5.

Ut canis a corio nunquam abſterrebitur uncto.

143. ETIAMSI PHORMEA

Quoquo pacto hæc, & ſequentia legantur, me nihil intelligere ingenuè fateor, quod omnes pariter fateri debuerant Senecianæ hujus ſatyræ commentatores. Rhenanus, qui omnia perturbat, *ſenſus eſt*, inquit, *ira ægrè ſeneſcit*. Aſt proverbium iſtud, vel conſimile *ira poſtremum ſeneſcit*, græce eſt ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει ut in Sophoclis Oedipo colon. Adi Eraſmum, & Manutium. Alii ediderunt *ſe neſcit*. Gal. Anonymus Sallengrianus, poſtico diſcedit, rumoreſque fugit. Nemo Lectori ſatisfacit, omnes verboſitate difficultates exagerant; ille etiam (Adrianus Junius ni fallor) qui ſyllabatim vocem illam ENTICONTONTKHNΔIHC, ſic dividit EN TIC ON TO NTKHN ΔIHC. In hujuſce ſatyræ textu a Mureto edito nihil de hac voce, nihilque de PHORMEA.

144. Πυργοπολινίκης.

Pyrgopolinices, nomen eſt Militis glorioſi ap. Plautum. Auguſti autem cognomen, quo Imperii apex deſignabatur, omnes ſucceſſores aſſumpſerunt. Bulengerus tamen *de Imperat. Rom.* lib. 1. cap. 12. aſſerit Tiberium, Cajum, Claudium, Neronem, Galbam, Vitellium, atque Trajanum repudiaſſe; laudatque ſententiæ ſuæ fautores, Svetonium ac Dionem. Verum in numis, his omnibus datum, ipſis rei numiſmaticæ tyrones, haud latet.

145. VT DVAS IVLIAS

Alteram, ait Svetonius XXIX. *Druſi*, *alteram Germanici filiam*, *crimine incerto*, *nec defenſione ulla data occidit*.

146. L. SILANVM

De quo ſuperius Not. CI. CII. CIV.

147. AN IN CAVSSA MALA

Ad hæc plura Fromondus, Gronovius, aliique. Paraphrasi, quam aptiorem censeo, exponam. *Videris Jupiter an hic, qui cum sororiantis Silani caussam damnaret, tuam pariter damnavit* (Juno enim soror tibi, & uxor) *dignus sit inter Numina habere sedem*. Hunc profectò loci istius sensum arbitror.

148. DIVE

Ironicè: hanc tamen ironiam posthabuit quisquis fuerit Auctor tragœdiæ cui titulus OCTAVIA: nam Act. I. Chorus sic loquitur

. . . . Sancta quid illi
Prodest pietas DIVVSQVE Pater?

149. ANTE QVAM AVDIRES

Extat Svetonii textus, ex quo conjicere quis posset, Augusti criminationem meram fuisse calumniam. Historici verba adferam ex cap. XV, *Alius gratias agens, quod reum defendi pateretur, adjecit*: ET TAMEN FIERI SOLET. Falsum igitur indefensos Claudium condemnasse reos. Hoc sane vitio haud omnino culpandus est Claudius, sed potius Narcissus, Pallas, & L. Vitellius, a quibus obnoxii, è Claudii conspectu iniquis artibus arcebantur, ne audirentur. Patuit hoc potissimum in Valerii Asiatici, Mnesteri Cn. Pompæji M., Lolliæ Paullinæ, ac Messalinæ caussa obituque, ut ex Svetonio, & Tacito apertè colligitur. Ausonius *in Cæsarib.* Tetr. V.

Libertina tamen, nuptarum, & crimina passus
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

Verumtamen Seneca heic negotium suum agit, meritoque Claudium per Augustum corripit, quod inauditos condemnaret reos, cum ipsimet hoc obtigerit infortunium, tunc quando indefensus jussus est exulare.

150. VULCANO

In lapidibus passim VOLCANO.

151. ῥῖψε Ποδὸς &c.

Ex Iliad. I. ubi Volcanus de se ipso

Me pede correptum a summo est jaculatus Olympo

seu ut vertit Cl. Raym. Cunichius

. . . Arripuitque pede, & jaculatus ab alta est
Aede procul.

E cœlo igitur, ob deformitatem, projectus, in Lemnum Aegæi insulam cecidit, fractâque tibiâ, claudus efficitur. Hoc a Jove actum omnes referunt Mythologi: ab ipsa Junone matre, Chartarius; quo argumento non video; nisi error sit Ant. Verderii, qui Chartarii librum italico sermone conscriptum (quique mihi in promptu non est) latinum fecit. Ceterum Homeri carmina, Nostrum identidem retulisse crediderim, haud fortuitò, sed data opera; ad jocosam videlicet Claudiani eloquii imitationem; nam, ut superius dictum est, multum Claudius pro tribunali, etiam Homericis, locutus est versibus.

152. SVSPENDIT ILLAM

Quod adversaretur Herculi, illique exorato Borea ventos contrarios immisisset, ut refert Phornutus; unde in Iliade xv. Jupiter torvè Junonem adspiciens sic profatur.

Pectore adhuc memori retinesne prioribus annis
Quas mihi commisso dederis pro crimine pœnas?
Cum suspensa polo super ardua nubila, longa
Fune pependisti, vinctas incude ligata
Ad plantas gemina palmas innecteret aurum
Ponderis immensi, cum te super æthera Divi
Quotquot agunt, multa moti pietate volentes
Solvere non poterant?

153. NESCIO, INQVIS

Occisa Messalina, inquit Svetonius xxxix., *paulo post quam in triclinio decubuit*, CVR DOMINA NON VENIRET, increpuit. Sic extincta, Messalinæ jussu, Poppæa Scipionis uxore, infelicissimæ illius fœminæ necem adeo ignoravit, *ut post paucos dies* authore Tacito Ann. XI. 2 *epulantem apud se maritum ejus Scipionem percuntaretur;* CVR SINE VXORE DISCVBVISSET?

154. MORTVVM PERSEQVI

Hoc non omnino verum: nam in præcipuos conjurationis authores Cassium Cheræam, Julium Lupum, & Corn. Sabinum, Cajanæ necis reos capitalem sententiam protulit. Vetuit insuper ne Caji memoria infamis a Senatu declararetur. Demum, *etsi acta omnia* (Caji) *rescidit, diem tamen necis, quamvis exordium Principatus sui vetuit inter fastos referri*. Svet. in Cl. xx.

155. SOCERVM

M. Silanum, Juliæ Claudillæ quæ fuit prima Caji uxor, patrem.

156. HIC ET GENERVM

L. Silanum, de quo non ſemel ſuperius.

157. CRASSI FILIVM

Cn. Pompejum Magnum, quem, ignaro Claudio, Meſſalina interemit: huic, Claudius, Antoniam filiam quam ex Pætina tulerat, deſponderat; extinctoque Pompejo. Cor. Sullæ Fauſto uxorem dedit.

158. VETVIT MAGNVM VOCARI.

Vetera familiarum inſignia (Svet. in Cal. xxxv.) *nobiliſſimo cuique ademit*: *Torquato* torquem, *Cincinnato* crinem, *Cn. Pompejo ſtirpis antiquæ* Magni *cognomen*. Dio tamen contrarium omnino refert: Claudium ſcilicet *Magni* hoc cognomen, Pompejo, a Caligula ademptum, reſtituiſſe.

159. SCRIBONIAM

Craſſi uxorem: Cn. Pompeji matrem.

160. TRISTIONIAM, ASSARIONEM.

De his ſilent Hiſtorici: attentis tamen verbis OCCIDIT IN VNA DOMO, & NOBILES TAMEN, conſanguineos fuiſſe Craſſi Frugi conjicio.

161. CRASSVM

Craſſum Frugi, Cn. Pompeji patrem, cognomine etiam Magnum, qui olim Claudium triumphantem, *equo phalerato*, ut refert Svet. XVII., *& in veſte palmata erat ſecutus*.

162. TAM FATVVM &c.

Frigidi hujus dicterii abſurditatem oſtendimus Not. 7.

163. PORTENTVM

Monſtrum. Eo ſenſu Cicero in Piſonem Clodium vocavit, *fatale portentum*, *prodigiumque Reip.*

164. PRINCIPES PIETATE

Verba hæc, uſque ad illa *Hunc nunc Deum*, non leguntur niſi apud Rhenanum, qui ea ex optimo Codice tranſcripſit.

165. PIVS ET IVSTVS

Hæc, ironicè dicta, putat Rhenanus: at quare? Perfidam gentem, a qua immanis religio profitebatur, extirpare, nonnè omni laude dignum? Insuper, Druidarum religionem delendi causam quam excogitat Rhenanus quis haud ineptissimam censebit? *Ut*, ait, *fratris sui filiam* (Agrippinam) *ducere posset*, *quod non licebat ante*. At quomodo id quod ante haud licebat, deleta Druidarum superstitione licere poterat? Quid Gallorum Sacerdotum cultus, cum illicitis Claudii nuptiis? Sane Svetonius in Claud. cap. 25. nullam Druidarum proscriptionis rationem, causamve refert: sed hæc tantummodo. *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis*, *& tantum civibus sub Augusto interdicta Claudius penitus abolevit*. O utinam quemadmodum Dryuidarum perfidiam agnoverat, Christianorum quos Roma expulit agnovisset innocentiam! Dissimulare tamen haud debeo in editione Romana, quam sub N. XLVII. laudavi, sic legi: *quoniam Dryuidarum immanem Religionem advexit*; *nostram prorsus extirpavit*, *ut Romæ nuptiarum sacra essent*: ast hanc lectionem optimorum Codicum lectioni, nedum Svetonianæ repugnantem, omnino rejiciendam opinor.

166. SENATORIBVS XXX.

V. inf. Not. 228.

167. DIIS IRATIS

Adversis, repugnantibus, quasi invitis Diis. Cicero pro Coelio. *Huic homini ego fortasse*, *& pauci*, *deos propitios*, *plerique autem iratos putabant*. Sic dicimus, carmina *iratis Musis* scribere, & dare operam liberis, *Venere irata*.

168. TRIA VERBA CITO DICAT

Trium litterarum homo, fuit in proverbio apud Erasmum, sed alio sensu. Tria etiam verba quæ fari Prætori licebat, vide apud Joach. Perionium lib. III. N. 204. Rhenanus vult hæc ab Augusto dici, quod Claudius balbus esset. Verumtamen non hic est ille Claudius cujus in declamando gratiam Augustus ipse dum viveret valde est admiratus? V. Not. 54. Rectius dicam sententiam hanc, sive Claudio, sive Augusto tribuatur, nullum habere sensum, ut plane dignoscet quisquis antecedentia subsequentibus conferat. *Tria* enim *verba dicere* formula erat Romanorum. Qui e. g. servum vindica-

bat HIC, ajebat, MEVS EST; injectaque manu sequi se jubebat. At hæc nec Augustus Claudio dicere poterat, nec Claudius Augusto.

169. EX TABELLA

Antea suffragia voce ferebantur; postea leges Gabinia, Cassia, Papiria, & Coelia per tabellas ferri sanxerunt. Eamdem invaluisse consuetudinem apud Græcos docet Aristotiles de Rep. lib. II. teste Perionio *de Rom. & Græc. magistr.* lib. III. *Judicia autem in foro legibus sanxit* (Hippodamus Milesius) *non voce, ac suffragiis fieri oportere, sed unumquemque Judicem tabellam deferret, in qua scriberet, si planè condemnaret; sin planè absolveret, eam inanem relinqueret; si partim condemnaret, partim absolveret, id distingueret.*

170. QVAM OVO OVVM

Non vultu, sed moribus. Horatius Sat. I.

. . . . . . *Ovo prognatus eodem*

ex quo tritum proverbium Non tam *ovum ovo*, & *lac lacti* simile. De similitudine inter homines, pulchrè Plautus *in Menæch.*

Nam ego hominem homini similiorem, nunquam vidi alterum;
Nec aqua aquæ, nec lacte lacti, crede mihi, usquam similius,
Quam hic tui est, tuque hujus.

171. INTER XXX DIES

Exilii poena non injungebatur ejiciendo reos ab urbe; sed interdicendo eis tecto, aqua, & igne: unde non præscribebatur locus ubi esse deberent, sed ubi esse non possent. Neque igitur assignabantur dies, quibus exactis Urbe excederent: interdicto etenim tecto, aqua, & igne, necessario inter paucos dies urbem relinquere conabantur. Quod autem de vacatione Claudio neganda Auctor dicit, vide apud IConsultos.

172. PEDIBVS IN HANC SENTENTIAM ITVM EST.

Dom. Floccus, sub Fenestellæ nomine latens, hanc formulam diversimodè exponit. *Pedarios Senatores variis rationibus appellatos invenio. Alii enim quod ii non haberent sententiæ dictionem in Senatu, sed in aliorum sententiam* pedibus irent, *dictos* Pedarios putant. Alii quod essent plerique, qui Magistratus curules adepti, sella curuli in Senatum veherentur, qui vero *pedibus* iter *facerent*, Pedarii nominabantur. M. autem Varro Equites quosdam esse ait,

quibus amplioribus Magistratibus functis, nondum tamen a Censoribus in Senatores lectis, non esset jus dicendæ in Senatu sententiæ, cum tamen in Senatum venire liceret, sed quas sententias Principes dixerant, in eas *descendebant*, non per tabellam, sed voce, vultu, gestuque, ut docet H. Kirschius de Magistr. Reip. Rom. N. 145. & seq. Hi ergo Equites Pedarii fuere, Lucilio *Agipedes*; Græcis *χαμαιδικάσται*. V. Gellium N. A. III. 18.

173. CYLLENIVS

Quidam hujus cognomenti etymon ducunt a Cyllene Mercurii nutrice: quidam a sermone manibusque, quibus Deus hic, omnem rem conficiebat. Virgilium sequor, qui Aen. VIII. sic dictum vult Mercurium a Cyllene Arcadiæ monte ubi a Maja genitus

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

174. OBTORTO COLLO

In jus vocati, si sponte ad Magistratum ire renuissent, vi obtortoque collo, ab Actoribus ad illum trahebantur. Plautus in Rud. Act. III.

In jure causam dicito: hic, verbum sat est
SEQVERE. *La. Obsecro te, subveni mi Charmides,*
Rapior OBTORTO COLLO.

Livius lib. III. *Virginiæ venienti in Forum, Minister Decemviri libidinis manum injecit servam suam appellans, sequi se jubebat; cunctantem, vi abstracturum.*

175. TRAHIT AD INFEROS

Licet munus deducendi animas, Pindarus Plutoni assignaverit, compertum est communiter Gentiles Mercurio tribuisse, vel ad Elysios perducendæ essent, vel ad Inferos: quapropter modo Νεκροπομπὸς, modo ψυχαγωγὸς vocabatur, & Ἐριούνιος. Horatius I. Od. 10. ad Mercurium.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus; virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis Deorum
Gratus, & imis.

Virgilius Aen. IV. de eodem perspicuè.

Tum virgam capit; hac animas evocat Orco,
Pallentesque alias sub tristia tartara mittit.

In quadam Capitolini musei urna, (anaglyphis ornata vitæ humanæ cursum repræsentantibus) in qua condita olim Diadumeniani ossa plerique autumant, visitur Mercurius animam ad inferna loca ducens, hoc pacto expressus.



Alexander quoque, ap. Laertium in Pythagoræ vita, Mercurium nominat *animarum promumcondum*; ideoque *Deductorem Janitorem*, *Terrenum*; quod is, animas ex corporibus & ex terra marique immittat.

176. NEGANT REDIRE QVEMQVAM

Versus est Catullianus in morte passeris Puellæ suæ.

Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.

Sic in Herc. fur. Act. II.

Exurge conjux, atque dispulsas manu
Abrumpe tenebras, nulla si retro vias.

Anacreon. LVIII. Jano Dousa F. interprete

Quia Acherontis aspera est
Specus, pedemque nemini
Datur referre ab horrida
Styge, ut quis intulit pedem.

Quod falsum ostendunt Mythologi, præsertim Hyginus in Fab. cap. 251. cui titulus: *De iis qui licentia Parcarum ab Inferis redierunt*; hominatque Liberum, Herculem, Asclepium, Protesilaum, Alcestidem, Theseum, Hyppolitum, Orpheum, Adonidem, Glaucum, Ulyssem, Aeneam.

177. PER VIAM SACRAM.

Veteres promiscuè dixerunt VIA SACRA, & SACRA VIA, uti patet ex lapidibus, quos in opusc. de Ornatricibus retuli: cap. XXXIV. & ex Poetis præsertim Martiale atque Horatio. Per hanc viam in triumpho ducti sunt Britanni ad Capitolium; unde Horatius Epod. VII.

Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus Via:

Per eamdem tamquam præcipuam inter Urbanas, seminudus per contumeliam tractus est Vitellius. De hujus viæ, populi frequentia celeberrimæ situ ambituque ad satietatem Nardinius lib. III. cap. 12. Ego puto haud longè fuisse a via illa, quæ nunc *Alexandrina* (ab Alexandria Statiellorum, D. PII. V. P. M. atque Cardinalis Alexandrini, qui eam aperuit, patria) nostre quoque diebus vocatur.

178. CORNICINVM.

Cornicines a cornu, classicum scilicet instrumentum, quod etsi in

funeribus non adhiberetur, Auctor tamen ad irridendum Claudium cum tubis æneisque buccinis introducit. Quin etiam in funeribus conducebantur aliquando Satyrorum chori qui lectulum præcedebant, sirinnamque saltationem saltabant. V. Dionys. Halic. apud Kirchmann. lib. 11. cap. 7.

179. TIBICINVM

V. Jo. Kirchmanni *de fun. Rom. librum* 11. cap. 5. Petri Morestelli *Pompæ feralis* lib. 11. cap. 4. nostrumque opusculum cui titulus = i Riti funebri di Roma pagana = P. 11. N. 10.

180. AENEATORVM

Idest, qui æneâ buccinâ canebant.

181. AGATHO

Aliquis procul dubio Senecæ invisus sub Agathonis nomine, occultatus; nisi pro *Agatho* legendum sit Matho, illius temporis Causidicus, de quo Raderus ad Martialis lib. 11. Nomen quippe AGATHO, seu AGATON græcum omnino est, celeberrimumque apud Platonem, Pausaniam, Athenæum, Macrobium, & in vetustis lapidibus.

182. E TENEBRIS PROCEDEBANT

Cum Claudius frequentissimè pro tribunali sederet, ac semper, aut plerumque inauditis partibus, inconsultis legibus, suoque arbitratu jus diceret, Jurisconsulti lucrari minimè poterant; ideoque pallidi, graciles &c. Unde inferius in Nenia.

Deflete virum
Quo non alius
Potuit citius
Dicere caussas,
Una tantum
Parte audita,
Sæpe & neutra
Quis nunc Judex
Toto lites
Audiet anno?

183. VIX HABENTES ANIMAM.

Sophocles in Antigone.

. . . . *Hunc ego vivere*
Haud arbitror: vivum ac cadaver judico.

nos dicimus *animam dentibus retinere* quod est italice » tenere l'anima co' denti.

184. NON SEMPER SATVRNALIA

Simillimum illi *non ſemper æſtas* apud Heſiodum Op. & Dies. 503. Itali » non è ſempre feſta » Latini autem Græcos imitantes, qui eodem ſenſu dicere ſolebant *non ſemper*, vel *non amplius* ἀνθεστήρια, ajebant *non ſemper Saturnalia*: nam ſicuti in feſtis quæ apud illos Anthiſteriæ vocabantur, ſervis quoque libertas erat, ita apud iſtos in Saturnalibus etiam ſervis accumbere licebat, feriatis interim ab opere.

185. ΜΕΓΑΛΗΓΟΡΙΑ &c.

Nenia magnificis verbis, verſibuſque anapæſtis conſtans. Nenia, ſeu Threnicum a luctus argumento, cantilena eſt funebris, quæ etiam in funere Imperatorum cantabatur; tunc vero a Principum liberis utriuſque ſexus; quod in triumphali Auguſti funere actum, teſtatur Svetonius cap. 100. Fuit & Nenia Dea, cujus ſacellum extra portam Viminalem, haud longe a Diocletianæis thermis viſebatur. Feſtus xv. *Neniæ Deæ ſacellum ultra portam Viminalem fuerat dedicatum; nunc habet tantum aediculam*. Simulacrum ejuſdem Deæ extabat quondam Romæ in ædibus Veroſpiorum, uti teſtatur Roſinus *in Merc. Err.* Plerique hanc vocem ſcribunt cum diphtongo; at caſtigatius NENIA ſcribi debet a Græcorum νηνία, quæ *extremum* ſonat: erat enim cantio in ritu funebri poſtrema.

186. FVNDITE FLETVS.

Adr. Junius hos verſus, poſthabita omnium Codicum ſcriptione, partim mutilos edidit, atque hoc pacto diſpoſitos maluit.

Fundite fletus, Edite planctus, Reſonet triſti
Clamore forum, Cecidit pulcrè, Cordatus homo &c.

qua ratione? Junius ipſe, ut puto, neſciebat. Sane non iſto, ſed Seneciano ordine, ſuos Auſonius quos ſcripſit anapæſtos Alethio Minervio, diſpoſuit: hunc ergo ſequor, quem ſecutus eſt etiam Gronovius. Ceterum qualis fuerit Neniarum metrus, ſtyluſque ex hac,

quamvis ironica, atque ab Auctore satyricè conficta, dignosci tur. Varium tamen fuisse docet Varro, qui nenias ad tibiam cantat uras ex trochæo, & jambo constasse asserit lib. VI. de L. L.

187. FINGITE LVCTVS.

Statius in Epicedio patris

Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores
Mygdoniosque colunt, & non sua funera plorant.

188. CORDATVS HOMO

Hæc, & quæ sequuntur, ironicè dicta, nemo non videt.

189. REBELLES FVNDERE PARTHOS

Parthos, imperante Claudio, rebellasse nec tradunt Historici, nec probant monumenta: unde heic, ubi falsa enarratio, nullus datur ironiæ locus. Rebellarunt utique sub Claudio Gallus Asinius, Statilius Corvinus, Furius Camillus Scribonianus, & Annius Vinicianus, quorum minas motusque adeo ille expavit, ut imperium deponere tentaverit.

190. (PICTA MEDI
(TERGA FVGACIS

Tacitus Ann. VI. 35. *picta auro* dixit *Medorum agmina*. Eumdem se se pingendi morem imitati sunt Gelones (nunc, ex Harduini sententia, Lithuani) ut tradit Sequester. *Geloni Thraciæ populi picti corporis parte*. Sic Virgilius Georg. II.

Aspice, & extremis domitum cultoribus orbem
Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.

item Claudianus in Rufin. lib. I.

Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonos.

Aethiopes etiam in bellum profecturi, auctore Plinio lib. 35. cap. 12. corpora minio inficiunt, fortè ne vulneribus sanguinem effluentem agnoscant, minusque ideo terreantur. De Pictis è Scythia in Britanniam profectis, sic a pictura, qua utebantur, dictis, mentio est apud Bedam. Verumtamen, cur Medi heic ab Auctore introducantur haud facile assequimur, eo quod Claudio negocium aliquando cum Medis fuisse, nemo, quod sciam, retulit.

191. ILLE BRITANNOS

De expeditione Britannica à Claudio suscepta, hæc Svetonius XXVII. *Sine ullo prælio, aut sanguine, intra paucissimos dies parte Insulæ in deditionem recepta, sexto quam profectus est mense, Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu*. Fuit tamen Romæ, teste Carolo Patino, homo quidam, qui probare conatus est Britanniæ acquisitionem ab aliis etiam post D. Julium, & ante Claudium, fuisse tentatam: ast Svetonius planè asserit *ulli post D. Julium, neque tentatam*; cui accedit Tacitus, qui Britannicæ expeditionis Claudium *auctorem*, apertissime affirmavit in vita Agricolæ cap. XIII. Hinc Britannici nomen, quod rite, assumpsit, uti ex Numis liquet: hinc Arcus in iisdem expressus hoc pacto



Numum sic inscriptum ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣ se vidisse testatur Camdenus Ep. 74. Sane his consona sunt octo illa elegantissima nitidissimaque, in hujus Claudianæ expeditionis laudem, Epigrammata, quæ post Pithoeum, Scaligerum, atque ex Otsopæi membranis Camdenum, edidit v. c. Petrus Burmannus sec. Accipe ex istis illud tantum quod habetur in Anth. Lat. lib. II. sub. num. LXXXVII.

Ultima cingebat Tibris tua, Romule, Regna.
Hic tibi finis erat, religiose Numa.
Et tua, Dive, tuum sacrata potentia coelo
Extremum citra constitit Oceanum.
At nunc Oceanus geminos interluit orbes.
Pars est Imperii, terminus ante fuit.

Victoriam itaque de Britannis, licet heic Seneca inter Claudiana

facinora recenſeat ironicis verbis, in Tragoedia tamen hæc de Claudio, nec jocosè, profert Octavia

. . . . . *miſerande Pater*
Modo cui totus paruit Orbis
Ultra Oceanum; cuique Britanni
Terga dedere,
Ducibus noſtris ante ignoti
Juriſque ſui.

192. CAERVLEOS BRIGANTAS.

Fortaſſe quod & iſti membra cæruleo colore tingere conſueſcerent. Hos fuiſſe Britanniæ populos patet ex Tacito in A. cap. 17. ubi Savilius notat eos incoluiſſe comitatus Eboracenſis, & Lancaſtriæ, Veſtmerlandiam, Cumberlandiam, & Dunelmum. In eadem ſententia eſt Camdenus. Alios attamen, ejuſdem nominis populos, Ptolemæus in Hibernia, alii vero in Scotia conlocarunt.

193. COLLA CATENIS

Vetus epigramma ad Claudium de Britannia capta.

Fabula viſa diu, medioque recondita ponto
Libera victori quam citò colla dedit.

V. Is. Voſſii obſerv. ad Pomp. Melam lib. III. cap. 6. & Anth. Lat. lib. II. num. 85.

194. (TOTO LITES
(AVDIAT ANNO

Hoc eſt, etiam menſibus, quibus res judiciariæ, & lites ceſſabant, ut dictum eſt N. LXXXVIII.

195. QVI DAT

Minos Cretæ olim Rex; poſtmodum unus ex inferis judicibus, de quo Claudianus in Rufin. II.

. . . . *Quæſitor in alto*
Conſpicuus ſolio pertentat crimina Minos,
Et juſtis dirimit ſontes.

Hic ab Aſconio Pædiano *quæſtionis Princeps* appellatur. Virgilius Aen. VI.

Quæſitor Minos urnam movet.

196. POPVLO SILENTI

Silentes populi dicuntur Pisces; item mortui, & umbræ: unde laudatus Vates ibid.

. . . . *Ille silentum*
Conciliumque vocat, vitasque, & crimina discit.

Et Ovidius Met. lib. v.

. . . . . . *Rex pavet ipse silentum.*

197. OPPIDA CENTVM.

Ovidius de A. A. II.

Possidet, en terras, & possidet æquora Minos;

198. { CAEDITE MOESTIS PECTORA PALMIS

Virgilius de foeminis Trojanis Aen. I.

Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis;

Arnobius adv. Gent. lib. v. *Quid pectoribus applodentes palmas; passis cum crinibus Galli, nisi in memoriam luctus Matris Deûm?* &c. Lacerare, scindere, cædere pectora in signum doloris, passim dixerunt Poetæ.


199. POETAE NOVI

Non Julium Montanum (si de Montanis heic loquitur Satyricus; ut nonnulli autumant) sed Curtium potius, per τὸ NOVI designatum censeo; illum scilicet, qui teste Tacito Ann. XVI. 28. *detestanda carmina factitabat*. Designatur fortasse etiam quidam Acilius Buta, vir Lucifugus, quem Seneca nominat in Epist. 122. quemque Gyraldus *de Poet*. Dial. IV. poesi operam dedisse asserit. Verum, cum Claudii ævo innumeri fermè floruerint Poetæ, quos Seneca cum hæc scriberet, in animum habuerit, haud facile possis assequi.

200. FRITILLO

Fritillus, ab antiquo *Fritinnire* dictus, vasculum erat buxeum, longum, teresque, è quo tesseræ in tabulam mittebantur, ut docet ex

Turnebo, Raderus ad Martialis librum XIII. Figuram accipe ad exemplar illius, quam exhibet Boldettus *in observ.* » sopra i Cimiterj de' SS. Martiri » lib. II. p. 447.



Laudatus Epigrammaticus lib. V.

Jam tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur a magistro,
Et blando male proditus Fritillo;
Arcana modo raptus è propina
Aedilem rogat udus aleator.

& lib. XIII.

Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta Fritillus.

ita Juvenalis Sat. II.

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma Fritillo.

Vocabatur etiam Pyrgus, & Turricula; nam imaginem rotundæ turriculæ præbebat. In usu fuisse apud Christianos conjicio ex quadam

Inscriptione in coemeterio D. Agnetis extramuranæ reperta. Extat apud Boldettum loc. cit. estque hujusmodi

DOMINE	FRATER
ILARIS	SEMPER
LVDERE	TABVLA

Verumtamen ad Christianum virum, hunc pertinere lapidem, non omnino asserimus. Fritillo tandem hisce etiam temporibus uti, talaris ludi amatores, compertum est, nisi quod hodiernus Fritillus corneus est, non buxeus. De hac re permulti scripsere; diligentissimè Ficoronius in Opusc. cui titulus » *I Tali Luforj* » p. 133. & seq. De vocabulo *Fritillus* conf. Salmas. in Vopiscum. num. 36.

201. INIICIT ILLI MANVM

Servius ad illud Virgilii Aen. x.

INIECERE MANVM *Parcæ*.

hæc docet: *nam* MANVS INIECTIO *dicitur quoties nulla Judicis auctoritate expectata, rem nobis debitam vindicamus*. Sic Ovidius Amor. lib. I.

. . . dicam, mea sunt; injiciamque manus.

rursusque lib. II.

Injiciam Dominas in mea jura manus.

Petronius demum cap. 8. *Jam ille mihi injecerat manum, & nisi valentior fuissem &c.*

202. TALTHYBIVS

Sic dictus Mercurius, uti ex Homero, Plauto, Athæneo, Val. Maximo aliisque, nomenque fuit Nuncii Græcorum. In museo Capitolino extat tabula Iliaca a V. Cl. Raf. Fabretto scitissimè elucidata, in qua Hectoris monumentum, in cujus ambitu adstat Talthybius Troadibus sortitionem annuntians juxta illud Euripidis in Troad. Act. II.

Ταλθύβιος ἥκω, ποινὸν' ἀγγελῶν λογον.

Talthybius venio tibi publicum nunciaturus mandatum.

Circa Talthybii figuram, hæc habentur

ΤΑΛΘΥΒΙΟΣ
ΚΑΙ
ΤΡΩΑ
ΔΕΣ

Gronovius qui clariora hujus Satyræ loca explicavit, obscuriora vero dissimulavit, delevit τὸ *Nuncius* veluti manifestum (inquit) Interpretis additamentum. At 1° Satyra, cum latinè scripta sit, latinèque ab omnibus edita, *interpretata* dici nequit: 2° Si GANIMEDES e. g. dicitur *Jovis Pocillator*; IRIS, *Junonis nuncia*: HEBE *deorum pincerna*, cur absurdum sit dicere TALTHYBIVS, *deorum nuncius*, haud video. Si enim Talthybius est, per antonomasiam, Deorum nuncius; per antonomasiam pariter Ganimedes, Iris, & Hebe sunt *Jovis pocillator*, *Junonis nuncia*, *Deorum pincerna*. Quin immò cum Author noster Talthybii nomine *Mercurium* designare vellet, eo magis eum *Deorum nuntium* appellare oportebat, ne Mercurius cum Talthybio, in Græcorum exercitu, uti diximus, nuntio, confunderetur.

203. VIAM RECTAM

Tectam legunt Gruterus, Juvencæus, Scriverius, atque Gronovius. Hi omnes testantur se in antiquis optimæque notæ Codicibus operum Ovidii, Martialis, & Senecæ (in quibus de hac Via fit mentio) constanter legisse TECTAM. Fides sit penes Authores. Attamen ratio, ob quam Hadr. Junius TECTAM potius legendum censebat, quod scilicet Urbis viæ tegerentur velis, omnino rejicienda. Falsum enim est Romanos urbis vias velorum obtentu inumbrasse. Revera si viæ omnes velis tectæ fuissent, viam per quam ad inferos descendebatur, incuriosè nimis Auctor indicasset. Verum qui ad probandum heic TECTAM legi debere, carmina quædam Ovidii laudant Fast. VI. longe errant; num via sive *Recta*, sive *Tecta* de qua loquitur Sulmonensis non in Campo Martio, nec juxra Tiberim extitit, sed propè Martis templum, viâ Appia, parum a porta Capena distans, quemadmodum ex ipsis poetæ carminibus patet.

Lux eadem Martis festa est, quam prospicit extra
Appositum Rectæ porta Capena viæ.

Martialis e contra viam hanc RECTAM, propè Flaminiam (quæ planè ab Appia aversa est) ponit his libri VIII. versibus

Cum repetit sera conductos nocte penates
Lingonis a RECTA, *Flaminiaque recens.*

Hinc plures in urbe vias, quæ RECTAE dicerentur immo & quasdam ejusdem denominationis, etiam extra moenia extitisse vias (ut ex Cic. ad Q. F. Epist. lib. III.) censendum est. Verumtamen, cum nemo in magistri verba jurare teneatur, priusquam statuatur an RECTAM, TE-

CTAMVE legendum, consulantur Donatus, atque Nardinius, uterque *in Romæ antiq. descript.*: tunc forte, Codices potius, qui *Tectam* habent, quam qui *Rectam*, emendandos, ex æquo, & bono, opinaberis. Sane aliquam Claudii ætate extitisse Romæ viam *Tectam*, nemo refert. *Rectam*, è contrario, commemorant Ovidius (cujus lectionem Editores pro arbitrio, nulloque testimonio adiuti variarunt) & Procopius de B. G. lib. 1. ponuntque, ad portam Capenam ille, hic ad Ostiensem. Donatus vero inter pontes Xisti, & S. Angeli; Nardinius inter antiquum Triumphalem, & pontem Xisti collocant, ubi nunc *Strada Giulia*, a Iulio II. P. M. directa. Ego vero, cum heic de illa agatur via, quæ ad inferos ducebat, censeo Authorem nostrum, per RECTAM, indicare voluisse viam aliquam prope Terentum juxta Tiberim, ubi olim Aræ Ditis, & Proserpinæ. Cum enim indicasset (cap. 1.) viam qua itur ad Superos, idest Appiam, consentaneum erat illam quoque innuere quæ ad Inferos ducebat.

204. NARCISSVS

Plurimos Claudius libertos adamavit; sed *ante omnes*, inquit Svetonius XXVIII. *Narcissum ab epistolis, & Pallantem a Rationibus*: quapropter Narcissum, Patrono ad Avernum descendenti obviam ivisse, Author appositè finxit. Hinc merito Silenus, cum Claudium in convivium (Romulo a coelitibus datum) sine Narcisso, & Pallante inductum vidisset: *Injurius es*, exclamavit, *o Quirine, qui hunc tuum nepotem in hoc convivium inducas sine libertis, Narcisso, & Pallante*. V. Julian. Aug. *in Cæsarib.* Pallas & Felix hoc in loco a Seneca haud nominantur, neque Rhenano, qui eos in editione sua temere intrusit, do fidem; 1.° quia Fratres isti cum hæc a Seneca conficeretur fabula, superstites erant; revera Pallas obiit anno Neroniani imperii octavo; Felix post Pallantem. 2.° quia eos nominatos in vetustis Senecæ operum codicibus, nec Lipsius, neque Gronovius, neque recentiores, Apocolocyntosis Editores, invenere.

205. A BALINEO

Albam Narcissum canem in deliciis habuisse, heic primum discimus: podagrâ vero laborasse, ideoque balinea frequentasse, præsertim Campana, refert etiam Dio lib. LX. BALINEVM, a Græco βαλανεῖον, idcirco rectius quam BALNEVM. Octavius Falconerius *in Inscript. Athlet.* pluries ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙΟΝ ΤΟΥ CΕΒΑCΤΟΥ, *Præfecto*

Balineorum Augusti. Apud Gruterum BALINEVM SOLO SVO CVM PISCINA p. 174. Sic inter Donianas cl. II. C. Valerius Claud. Pansa., BALINEVM QVOD VI CONSVMPTVM &c. *pecunia sua restituit*.

206. ET VIRGA

Caduceo: unde Latinis, *caducifer* Mercurius: Græcis κηρυκηφόρος. Homerus Odyss. XXIV.

> *Mercurius autem animas Cyllenius evocavit*
> *Virorum procorum: tenebat autem virgam in manibus.*
> *Hac ducebat impulsas: hæ autem frementes sequebantur.*

Eadem fere Virgilius Aen. IV.

> *Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco*
> *Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit.*

Advertendum tamen Mercurio virgam dedisse Mythologi ad ingignendum aliquando soporem: propterea Ovidius Met. lib. I.

> . . . . . . *firmatque soporem*
> *Languida permulcens medicata lumina virga*.

207. DITIS

Ad januam scilicet Plutonis palatii. DIS enim seu DITIS (de qua voce vide Munckerum *in not. ad Hygin.* fab. XLI.) est Pluto.

208. BELLVA CENTICEPS

Cerberus, cui tria capita Virgilius affinxit Aen. VI. Hesiodus in Theog. 312. quinquaginta. Horatius Carm. II. Od. 13. nosterque Seneca, centum.

209. Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν

INVENIMVS, CONGRATVLEMVR. Solemnia quædam verba in Osiridis sacris proclamari solitum Deo invento, innumeri referunt Auctores; quæ vero, nemo. Hæc igitur nostro debentur Satyrico, qui eàdem acclamationis formula utitur ad subsannandam Claudii consecrationem. Hinc facili negocio explicatur locus ille Juvenalis Sat. VIII.

> *Exclamare libet populus, quod clamat, Osiri*
> *Invento*.

Rem totam aperit Julius Firmicus de err. proph. Relig., ubi, *In sacris Isiacis idolum Osiridis sepelitur in adytis: hoc annuis luctibus plangunt, rase capita tundunt, pectus lacerant, veterum vulne-*

rum refricant cicatrices ; & quum certis diebus hæc fecerunt , fingunt se lacerati corporis reliquias reperire , & quum invenerint , quasi sopitis luctibus gaudent : unde Ovidius Met. IX. 692.

. . . . *Numquamque satis quæsitus Osiris* .

Notatu dignum puto, etiam Julianum Aug. loco paulo superius citato , Silenum , introeunte Claudio , quædam verba clamantem (hæc scilicet IATTATAEAX ! HEM MALA ! IATTATAE !) introduxisse : sed audiatur Julianus ipse. *Claudio introeunte* , *Silenus principium comœdiæ Aristophanis quæ* Equites *inscribitur* , *canere incœpit nomine totius populi* , *scilicet ipsi Claudio gratificans* . Vide si vacat notas in Petronii Satyricon edit. Amst. 1743. T. I. p. 410.

210. C. SILIVS

Non C. ille Silius qui consulatum gessit A. C. XIII. cum L. Planco , sed qui , repudiata Junia Silana , Messalinæ nupsit , quemque Tacitus *juventutis Romanæ pulcherrimum* dicit . Hunc , trucidatâ Messalinâ, Claudius supplicio affecit .

211. T R O G V S

Saufejus Trogus , de quo Tacitus Ann. XI. 35.

212. COTTA TECTVS , VALENS

Cotta , *Vectius Valens* : sic lego Taciti auctoritate qui loc. cit. Vectium Valentem nominat inter Messalinæ adulteros , ideoque a Claudio extremo affectum supplicio . Hic , teste Plinio lib. XXIX. 5. Anthologias scripsit , & de annis climatericis egit .

213. EQVITES ROMANI

Eadem constantia & inlustres Equites Romanos cupidos maturæ necis fecit . Tac. Ann. XI. 35.

214. DVCI IVSSERAT

Ad inferos ; idest jusserat occidi .

215. M N E S T E R

De Mnestere Agrippinæ lib. qui necata Patrona ipse se ferro transegit , meminit Tacitus Ann. XIV. 9. At heic de Mnestere agitur Messalinæ adultero , quem Claudius , impulsore Narcisso , cum cæ-

teris illius Augustæ adulteris morte multavit. Ad hunc pertinere saxum Capranicianum a Grutero exscriptum

T. IVLIO
AVG. L
MNESTERI.

censuit Lipsius: sed manifestum est eum fugisse Svetonii testimonium in Calig. XXXVI. ubi noster M. Lepidus Mnester aperte vocatur. Perperam Rhenanus, & Gronovius pro MNESTER (Græcum nomen *Procum* significans) M. NESTOR scripsere; si enim error ortus esset, ut incuriosè aiunt, quod post litteram M. punctum, primi scriptores minime animadvertissent, tunc non M. Nestor, sed M. Nester legi deberet. Sane omnes Senecæ, Taciti, Svetonii, Dionis, & Xiphilini editiones recentiores, ab ocularis eruditissimisque viris publici juris factæ, servant, quemadmodum in allato lapide, Mnesterem, Mnester, Mnesteri &c. Ita ut non laudatorum Historicorum codices, sed Rhenani, Gronoviique animadversiones *emaculandas* reor. Insuper si ejusmodi variantes admitterentur, omnia fere Libertorum nomina incerta essent: tunc enim liberum cuique foret Posidem, e. g. Polybium, Terpnum, Amicetum, Marathum, in P. Osidem, P. Olibium, T. Erpnum, A. Nicetum, M. Arathum convertere, vacua in medium producta ratione, punctos scilicet Amanuenses neglexisse. Postremo, si Claudiani pantomimi nomen fuit M. NESTOR, quare Gronovius in elziviriana operum Senecianorum editione, quam ipse curavit, ac Christinæ Svecorum reginæ nuncupavit MNESTER, non M. *Nestor* edi permisit?

216. PANTOMIMVS

Qui non loquendo, sed gesticulando agebant. Sidonius Carm. XXIII. ubi de Caramallo, & Phabatone pantomimis.

Coram te Caramallus, aut Phabaton
Clausis faucibus, & loquente gestu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu
Toto in schemate, vel semel latebit.

Adi Aristenætum in lib. II. Ep. 26. Pitiscus: *horum usus is erat, ut quodcumque chori canerent, isti motibus corporis exprimerent.* Pantomimorum artem in urbem induxisse Augustum, tradit Svetonius,

apud quem cap. XLV. quatuor pantomimos Auguſtianos invenies, Bathyllum, Stephanionem, Pyladem, & Hylam.

217. POLYBIVS

Libertus, quem Claudius a ſtudiis habuit, adeoque dilexit, *ut ſæpe* teſte Svetonio, *inter duos* coss. *ambularet*. Ad hunc Seneca, cum adhuc exularet, librum de conſolatione, in ejus Fratris morte, miſit, aſſentationibus refertum, ita ut a Lipſio magno Senecæ Sectatore, quiſquis libellum illum vulgavit, Philoſophi ſui, ejuſque gloriæ inimicus dicatur.

218. HARPOCRAS

Cui lectica per urbem vehendi, ſpectaculaque publicè edendi (quæ beneficii Principis erant) *jus tribuit*. Svet. XXVIII.

219. IVSTVS CATONIVS

Idem qui, cum primi ordinis Centurio eſſet, a Druſo una cum Jun. Blæſo, & L. Apronio ad Tiberium mittitur, *ut placatus*, *Legionum preces exciperet*. Tac. Ann. I. 29. C. Catonii Reſpecti mentio eſt in lapide Gruteriano XIV. 3.

220. RVFVS

Sulpicius Rufus ludi procurator apud Tacitum Ann. XI. 35.

221. PEDO POMPEIVS

Pedo ille fortaſſe, qui adverſus Bructeros, duce Tiberio, pugnavit; illum ſanè, Pedonem Albinovanum fuiſſe, ut ſuſpicatur Lipſius, minime credo: nam Pedonem Albinovanum poetam qui ſub Nerone claruit militiæ operam, unquam dediſſe, non eſt qui referat.

222. SOCER ET SOCRVS.

Quod inter ſocerum & ſocrum diſcrimen ſit, docet Kalvinus in lex. Jur.

223. ΠΑΝ'ΤΑ φιλων πλήρη

Cuncta amicorum plena. Heraclitus ap. Laertium: παντα θεῶν πλήρη: *Deorum omnia plena*.

224. IN IVS EAMVS

Ad Prætoris ſellam. *Jus* pro *loco* in quo jus redditur. Sic Demi-

pho Phormioni ap. Terentium v. 8. *In jus ambula*: ubi Donatus: *idest ad judicem eamus*, nam Jus *pro* loco *est*. Paullus IC. de just. & jure: *Jus dicitur locus, in quo jus redditur; appellatione collata ab eo, quod fit in eo ubi fit: quem locum determinare hoc modo possumus: ut ubicumque Prætor salva majestate imperii sui, salvoque more majorum, jus dicere constituit, is locus recte* IVS *appelletur*. Ad hæc referuntur formulæ illæ apud Plautum, Martialem, Plinium in *Panegyr.* IN IVS NE MORAMINI. IN IVS VOCO TE. IN IVS VENI. SEQVERE AD TRIBVNAL &c.

225. SELLAS.

Curules; quarum forma crebro in numis expressa est. Cassiodorius Var. lib. VI. *Sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascendit*. Ebore tectas fuisse innuit Horatius I. Ep. 6.

. . . . *eripietque Curule*
Cui volet importunus ebur.

V. Val. Chimentellium *de hon. Bisellii* cap. XII. Hæc verba: *ego tibi hic sellas ostendam*, a Roussovio sic vertuntur: » ici je t'en montrerai le chemin »: semitæ infernales, pro sellis curulibus. Rhenanus, qui ut alias notavimus perspicuiora Senecæ verba obtenebrat subdubitat pro *Sellas* Senecam scripsisse *Stelas*. At quis unquam audivit Patres Conscriptos in cippis sedisse? insuper, quæ analogia inter sellas curules, & stelas, seu pilas illas lapideas surrectasque, in quibus foedera inscribi solebant? & tamen hic est ille Beatus Rhenanus quem Rhellicanus in adnot. ad Cæsaris comm. lib. VI. de B. G. *in indicandis, & corrigendis veterum monumentis, exquisiti judicii virum appellat*.

226. AEACI

Cum Plato *in Gorgia*, Asianorum judicem Rhadamanthum fecisset, Europæorum vero Aeacum, recte sciteque Seneca, Claudium Europæum in Aeaci potius, quam Rhadamanthi, aut Minossis manum tradidit.

227. LEGE CORNELIA

Lata a L. Corn. Sulla. Poena Sicariorum fuit aquæ, & ignis interdictio, cui postea, uti monet Jo. a Kall., deportatio, & bonorum ademptio subrogata est.

228. SENATORES XXX. &c.

Romanos ergo Cives occidit, (non connumeratis foeminis) ultra DCCCXXXVI. Totidem circiter necatos recenset Svetonius in Cl. 29. *In quinque, & triginta Senatores, trecentosque amplius Equites R. tanta facilitate animadvertit, ut de nece consularis viri renuntiante Centurione* &c. Audiatur insuper Seneca noster *de Clem.* lib. 1. cap. 23. *Pater tuus* (cum Nerone loquitur, Claudii, per adoptionem, filio) *plures intra quinquennium culleo insuit, quam omnibus seculis insutos accepimus*. Quæ vero, quamque crudelis hæc cullei poena fuerit, nemini incompertum reor.

229. ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε

Quorum numerus maris arenas æquabat: seu quorum numerum non minus inire difficile, quam arenæ aut pulveris. Eleganter Anonymus gallicè.

» Dont le nombre egaloit le sable de la mer »

230. P. PETRONIVS

Ille, ut puto, in cujus domo incautus ille vates C. Lutorius Priscus, teste Tacito Ann. III. 49. carmen de morte Drusi legerat, ob quod in carcere exanimatus est.

231. CONVICTOR

Familiariter nobiscum comedentes, & bibentes, *convictores* vocamus. Cicero Tironi suo Ep. XXI. *Cum Bratio* : . . . *jucundissima convictio*, & paulo post : *utor familiaribus, & quotidianis convictoribus, quos secum Mytilenis Cratippus adduxit*. Sic Svetonius de Tiberio loquens cap. LVI. *Nihil lenior in convictores Græculos, quibus vel maximè acquiescebat*.

232. CLAVDIANA LINGVA.

Non, ut vult Rhenanus, quod P. Petronius Claudiano vitio balbutiendi laboraret, sed quod vere disertus, quemadmodum fuisse Claudium alibi ostendimus.

233. POSTVLAT ADVOCATIONEM.

Advocationem præbere, suscipere, idem ferè sonant. POSTVLARE, est Advocatum a Prætore petere. Heic igitur Petronius, commiseratione motus, Claudianæ causæ sponte a Prætore postulat advocationem.

234. NON DATVR.

Advocati, & Protectores non omnibus dabantur. Malefici e. gr. puplici latrones, homicidæ voluntarii, prædones, sortilegi, templorum violatores, ejusdemque farinæ homines, nunquam in protectionem suscipiebantur. Aeacus ergo Claudium, tot homicidiorum reum, Advocato indignum judicavit.

235. AEACVS HOMO.

Hominem vocat Aeacum non Deum; forte quod Deus esset infimi subsellii, merusque Plutonis minister. Ceterum Mythologi omnes, in magna illa Deorum infernorum turba, hunc quoque annumeravere. Templum quippè, aut saltem, Fanum Athenis fuisse Aeaco dedicatum vocatumque Aeaconteum testatur Hesychius. Herodotus hæc habet: *Anno trigesimo primo quum Fanum Aeaco* (Athenienses) *dedicassent* &c. Meminit etiam Plutarchus in vita Thesei, ubi; *Aeacus, a Græcis, sanctissimus existimabatur.*

236. εἰκε πάθοι τὰ κ' ἔρεξε &c.

Verba hæc Aeaci referuntur ad ea, quæ jam ab Augusto superius dicta sunt: idest, *Quos occidisti antequam de caussa cognosceres; antequam audires, damnasti;* & ad illa

Potuit citius
Dicere caussas,
Una tantum
Parte audita.

Significat ergo æquum esse, ut is qui una tantum audita parte reos damnavit, simile judicium subeat.

237. SI VNI DII

V. infr. Not. 243.

238. TANTALVM.

Tibullus lib. 1. El. 3.

Tantalus est illic, & circum stagna, sed acrem
Jam jam poturi deserit unda sitim.

239. SISYPHVM

Sisyphi poenam describit Homerus Odyss. xi.

Et ipsum Sisyphum aspexi immensos dolores patientem,
Lapidem gestantem ingentem utraque manu;
Profecto ille innixus manibusque pedibusque,
Lapidem sursum pellebat ad cacumen, sed quando prope erat,
Summitatem superaturus, tunc deficiebat fortis vis.
Rursus deinde ad solum volvebatur lapis immanis,
Cæterum ille rursus pellebat intensus; sudor autem
Demanabat ex membris, pulvis autem ex capite oriebatur.

240. IXIONIS

Tibullus *ibid.*

Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.

241. SVFFLAMINANDAM

Miror Rhenanum hujus verbi significationem ignorasse, ita ut *sublaminandam*, invito Seneca, subrogaverit. Hoc tamen verbo utitur M. Seneca, *in Controv.* lib. iv. Utuntur & Ammianus Marcellinus lib. xv. Juvenalis Sat. viii. Prudentius in Ψυχομαχία vi. 105. Hieronymus in Ep. ad Pamachium; quorum Opera Rhenanus, procul dubio, centies præ manibus habuerat. Sufflamen ergo est retinaculum, modo ferreum, modo ligneum, rotæ currentis in descensum, ne currus, vel rheda in præceps feratur: hinc *Sufflaminare*, est rotam sufflamine comprimere, & retinere. Juvenalis loc. cit.

Præter majorum cineres, atque ossa volucri
Carpento rapitur pinguis Lateranus, & ipse,
Ipse rotam adstringit, multo sufflamine Consul.

Nos » Spranga » vel » Forcinella »

242. MISSIONEM.

Allegoricè. De honesta missione quæ Veteranis concedebatur permulta extant in antiquis lapidibus testimonia. Quæ esset, disserui;

mus in collectione inscriptionum Capitolinarum Tom. II. ibique celebrem Galbæ tabulam ad hanc rem spectantem attulimus.

243. NE VEL CLAVDIVS

Hic Satyræ locus, multum exercuit Rhenanum, Junium, Curionem, Alciatum, atque Gronovium. At si verba illa quæ superius N. 237. indicavimus: *Si uni*, *Dii laturam fecissent* (incuria Amanuensium perturbata) huc transferantur, sensus planus erit rectusque. Ita igitur legendum censeo. *Si uni* ex istis, Tantalo videlicet, Sisypho, atque Ixioni *Dii laturam fecissent*, tunc etiam *Claudius* (quod omnino nolumus) *simile speraret*.

244. AEACVS IVBET

Opportunè Ovidius in Ibin. v. 187.

> . . . . *tuasque*
> *Aeacus in pœnas ingeniosus erit*.

245. ALEA LVDERE


Veteres censebant vita functos eadem agere in Elysio versantes, quæ viventes egissent; unde Virgilius Aen. VI.

> . . . . *Quæ gratia currûm*
> *Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes*
> *Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos*.

Platonici itidem docuerunt animas apud inferos iis deliciis excruciari, quibus superstites intemperantius deditæ fuere. Eamdem heic amplectitur sententiam Satyricus, fingitque Aeacum appositè Claudium ad aleæ lusum damnasse, cui dum viveret intemperanter studuerat, uti constat ex Svetonio, hæc de Claudio, referente cap. XXXIII. *Aleam studiosissime lusit; de cujus arte librum quoque emisit: solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo, alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur*. In Anthologia lib. II. est mentio cujusdam *Tabliopæ*, quæ Aleatorum putabatur Dea.

246. PERTVSO FRITILLO

Sibrandus Siccama in figura mensis Decembris, Fritillum ex Ausonii carminibus effinxit, sed hoc pacto quadratum



At de ludrico hoc argumento conf. Andream Senftlebium *de Alea veterum* cap. XI. & Danielem Souterium *de Aleatoribus* cap. III. & XIV. Quæ esset ludentis pertuso Fritillo pœna, ipse suis aperit carminibus Auctor. Consimili ferme pœna multatas Danaidas tradunt Mythologi apud quos legimus eas in dolium pertusum, ideoque inexplebile, perpetuò aquam ingerere; item, non initiatos mysteriis Cerealibus, ut refert Meursius in Eleus. cap. 18. Ex his proverbium Plautinum Pseud. 1. 3.

In pertusum ingerimus dolium: operam ludimus.

247. VTRAQVE.... TESSERA

Antiquos tribus Tesseris lusisse, docet Salmasius Not. in Vopisc. Duabus tantum Claudium, colligitur ex hoc Senecæ versiculo. Achillem sic duabus Tesseris ludentem induxit Telepho tragicus.

248. MITTERE TALOS

Horatius lib. II. sat. 7. *Postquam &c.*

Mitteret in Pyrgum talos.

& Martialis lib. 14.

Quærit compositos manus improba mittere talos.

249. FLAGRIS, FERVLIS

Hoc est flagellis, virgis, quibus cædi consueverant servi, sicut fustibus Liberi. Cajum Caligulam in ludibrium semper Claudium, quamvis patruum, habuisse, Svetonius scribit in Calig. 23. Sed fusius in Cl. 8. *Nec eo minus contumeliis obnoxius vixit. Nam etsi paullo serius ad prædictam cœnæ horam occurrisset, non nisi ægrè, & circuito demum triclinio recipiebatur. Et quoties post cibum addormisceret, quod ei fere accidebat, olearum, ac palmularum ossibus incessabatur: interdum* FERVLA FLAGROVE, *velut per ludum excitabatur a copreis. Solebant & manibus stertentis socci induci, ut repentè expergefactus faciem sibi confricaret.*

250. MENANDRO LIBERTO SVO

De liberto, Menandri nomine, extat lapis apud Gruterum p. DLXXXIX. 6.

D. M. S.
MENANDRO . AVG. LIB
ADIVT. TAB. RAT
FILIO . DVLCISSIMO
ET . B . M.
M. TROPHIMVS . PAT. FEC.

& apud Mazzocchium Epigr. ant. urb. p. LXX.

D. M. S.
MENANDRO . AVG. LIB.
ADIVT. TAB. RAT. VEST.
FILIO . DVLCISSIMO
MENANDER . PATER . ET
CONLIBERTVS . EIVS
&c.

Attamen in vita Caligulæ a nemine Menander nominatur, sed Protogenes, Cajanæ sævitiæ minister, cui Imperator hic, seu potius bellua, libellos inscriptos GLADIVS, & PVGIO, custodiendos tradiderat. Hinc, Senecam, *Menandrum* pro *Protogene*, incuriosè scripsisse crediderim; eo magis quod ex Historicis constat Cajum, nullum, præter hunc, Libertum, rerum suarum cognitorem, habuisse.

251. A COGNITIONIBVS

Hujus officii notitiam ubertim præbent Gutherus *de Off. Dom. Aug.* & Calvinus *in lexic. Jurid.* In lapidibus vero de *Adjutoribus* tantum *a cognitionibus* mentio reperitur. V. Gorianas Inscript. T. III. p. 132. & Donianas Cl. VII. 7. In his nominantur T. Aelius THEODOTVS, & DELICATVS; ille ADIVTOR A COGNITIONIBVS; hic ADIVTOR A COGNITIONIBVS DOMNICIS (*sic*) Hisce modo Adnotationibus finem imponens, eadem in Claudium maledicta congeram, quæ in Sejanum Valerius Max. lib. IX. II. *Qui autem tot violavit amicitiæ fœdera, omni cum stirpe sua populi R. pedibus obtritus, etiam apud Inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur supplicia pendat.*

FINIS.

INDEX

Auctorum, qui in Adnotationibus laudantur.

Plautus.
Plinius.
Plutarcus.
Pontanus *Jacobus*.
Popma *Titus*.
Possardus *Wilelmus*.
Pratillus *Franciscus M.*
Propertius
Prudentius S.
Publius Syrus.
Pythagoras.

Quinctilianus.

Raderus *Matthæus*.
Reymarus.
Rhellicanus *Joannes*.
Rhenanus *Beatus*.
Ricolvius *Jo. Paullus*.
Rivautella *Antonius*.
Rittershusius *Conradus*.
Rosinus *Joannes*.
Roussovius *I. I.*
Rycquius *Justus*.

Sallengrius *Alb. Henricus*.
Sallerius.
Salmasius *Claudius*.
Sarisberiensis *Joannes*.
Savaro *Joannes*.
Scaliger *Joseph*.
Schefferus *Joannes*.
Seguinus *Petrus*.
Servius.
Severolius.
Sidonius *Apollinaris*.
Sirmondus *Jacobus*.
Sophocles.
Soucæus.
Spanhemius *Ezechiel*.
Spiegelius.
Stablinius.
Statius.
Svetonius.
Svidas.
Symmachus.

Tacitus Cornelius.
Terentius.
Tertullianus.
Themistius.
Theocritus.
Thomasinius *Philippus*.
Thysius.
Tibullus.
Toinardus *Nicolaus*.
Torrentius *Lævinus*.
Trebellius *Theodosius*.
Tristanus *Joannes*.
Turnebus *Adrianus*.
Tzetzes *Joannes*.

Vaillantius *Joannes*.
Valerianus *Pierius*.
Valerius Max.
Vallarsius.
Varro.
Verderius *Antonius*.
Victor *Aurelius*.
Vinetus *Elias*.
Virgilius.
Vossius *Gherardus*.
Ursatus *Sertorius*.

Xilander.
Xiphilinus.

Zamagna *Bernardus*.
Zamoscius *Stephanus*.
Zornius *Petrus*.

Winchelmannus *Joannes*.
Wonchius *Cornelius Valerius*.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.



E. *Epistolam indicat*. T. *Titulum*.
N. *Notam*, *seu Adnotationum Numerum*.

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

FINIS.

Senecianum Fragmentum a Cl. Auctore criticis omnigenæ eruditionis notis illustratum, typis edi dignum existimo.

F. Antonius Unnia
Exprovincialis Carmel.
S. Officii Consultor, & Revis.



Attenta præmissa attestatione:

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Poncini O. P. S. Th. M. in Reg. Verc. Coll. Prof. Provicarius Generalis S. Officii.

V. Rostagni R. V. C. P.

V. Se ne permette la Stampa

EVASIO TORIGLIA V-Prefetto per la gran Cancel.





